DE LIBRO QUI INSCRIBITUR

DE VIRIS ILLUSTRIBUS URBIS ROMAE QUAESTIONES HISTORICAE.

QUAS SCRIPSIT

H. HILDESHEIMER,
DR. PHIL.

Accedunt variae lectiones trium codicum adhuc in usum non vocatorum.

BEROLINI.
APUD MAYERUM ET MUELLERUM.
MDCCCLXXX.

PARENTIBUS CARISSIMIS

S.

Cum de omnium fere veterum historicorum fontibus et auctoritate etiam atque etiam anquiratur et disseratur, liber, qui inscribitur de viris illustribus, ad hoc tempus mirum quantum neglegitur. nam nuper demum prima de ipso hoc libro instituta est quaestio, quicunque autem antea de eo disputaverunt, rem tetigerunt potius quam tractaverunt. atqui constat inter omnes, qui vel occasione data librum inspexerunt, eius argumento condicionique hanc neglegentiam minime respondere. neque enim errorum abundantia aut rerum inopia laborat, neque ex auctoribus pendet, quorum libri nobis suppetunt, immo aptissima brevitate permagnam rerum copiam perstringit, quae apud alios auctores vel frustra quaeruntur vel aliter referuntur.

Quare equidem pro tenui mea parte hanc paene integram quaestionem suscepi, ad quam absolvendam vel tironem paululum conferre posse confido. atque primum virorum doctorum de fontibus libri nostri coniecturas perlustrabo, deinde meam sententiam argumentis firmabo, denique quid de auctoris nostri fide historica iudicem, explicabo.

Pars I.

De fontibus libri de vir. ill. scripti.

Caput I.

B. Borghesius primus de fontibus libri de vir. ill. disputavit (Giorn. Arcad. 1819 I, p. 62 = Opp. III, p. 10) coniecitque eum ad illa elogia referendum esse, quae statuis virorum illustrium in foro suo collocatis Augustus subscripsit. quam coniecturam Bunsenus (Descript. urbis Romae III², p. 151) et Niebuhrius (H. R. II, p. 518 n. 13, III, p. 77 n. 122) probaverunt, Cardinalius (Iscriz. Velit. p. 78) autem, Meyer (Zeitschr. für Alterthumsw. II, 1835 p. 1044), Becker (ant. Rom. I, p. 56 n. 96), Zellius (elog. Rom. p. 41), Mommsenus (C. J. L. I p. 282) refutaverunt, his potissimum usi argumentis, quod auctor noster et interdum erroribus laberetur et multorum virorum Romanorum populique Romani hostium vitas describeret, quorum statuas ab Augusto minime positas esse nemo negaret. atque quamvis hanc virorum doctissimorum sententiam sequar, quoniam dubium esse non potest, quin neque Manlii Capitolini neque Gracchorum neque Fimbriae neque Saturnini neque M. Bruti neque C. Cassii neque M. Antonii neque Pyrrhi neque Hannibalis neque Viriathi neque Mithridatis statuae in foro exstiterint, tamen rem penitus perscrutatus aliam inter elogia et auctorem de vir. ill. intercedere rationem mihi persuasi. sed hac de re alio loco copiosius acturus sum.

H. Meyer (Zimmerm. Zeitschr. für Alterthumsw. II, 1835, p. 1043) librum nostrum quarto vel quinto decimo saeculo ex nonnullis auctoribus, praecipue ex Livio compositum esse censet. quam de aetate, qua scriptus sit liber noster, coniecturam, quicunque rem diligentius inquisiverit, ne refutatione quidem dignam putabit esse. de Livio autem cum infra disseram, hoc loco satis habeo similem coniecturam afferre. Ulricus enim Koehler

(Qua ratione T. Livii annalibus usi sint historici Latini atque Graeci p. 41 sqq.) auctorem de vir. ill. in eorum numero habendum esse statuit, qui aliis aliunde additis Livii annales excerpserint.

Th. Mommsenus (Herm. I, p. 168 = Quaest. Rom. II, p. 430) rerum ab auctore nostro narratarum praecipuum iuxta Livium fontem Valerium Antiatem esse inde repetit, quod in Scipionum causis (c. XLIX et LIII) eam habet versionem, quam auctore Gellio [VI (VII) 19, 8] solus Valerius Antias tradidit. verum ut de Valerio Antiate plane cum viro doctissimo consentio, praesertim cum non paucis aliis locis luculenta Antiatis vestigia appareant, ita de Livio eius iudicium sequi non possum.

C. Aldenhovenus (Herm. V, p. 153) Mommseno adversatus L. Calpurnii Pisonis annales Nostrum secutum esse contendit. quae sententia, nullis certis argumentis firmata, iam eo refutatur, quod in ipsis primis capitibus, quae Aldenhovenus perlustrat, non pauca inveniuntur, quae minime e Pisone fluxerint, velut narratiunculae de Tarpeia virgine c. II cfr. Dionys. II, 38; de Numae libris c. III[1]) cfr. Liv. XL, 29, 3; de Tarquinii Superbi genere c. VII cfr. Dionys. IV, 6, 7; de Spurio Maelio interfecto c. XVII cfr. Dionys. XII, 4. quamquam hoc Aldenhoveno concedo nonnulla Pisonis vestigia in libro nostro inveniri.

E. Woelfflinus (De Lucii Ampelii libro memoriali quaest. crit. et historicae, Gottingae 1846 p. 35) ex Julii Hygini de viris illustribus libris auctorem nostrum sua sumpsisse statuit: magnam enim inter Ampelium et auctorem de vir. ill. exstare conspirationem, sed modo hunc modo illum nonnulla tradere, quae apud alterum desiderentur, quare ad eundem auctorem referendum esse utrumque, hunc autem Hyginum esse. — verum neque auctorem de vir. ill. neque Ampelium ipsos Hygini libros adhibuisse infra ostendam.

L. Spengelius (Acta acad. Monac. XXXVI 1863, p. 348) et C. Heynus (De Floro historico, Bonnae 1866 p. 6 n.) auctorem

1) Errare Aldenhovenum, qui ex Plinii [XIII, 13, 84] verbis „hoc idem tradit Piso“ ratiocinetur Pisonem item ac nostrum auctorem hanc rem exposuisse, e Livio l. l. apparet [v. Peterum vet. hist. Rom. rel. p. CC]. illa autem Plinii verba nihil aliud significant nisi eandem rem Pisonem tradere, minime autem eodem, quo Cassius Hemina tradiderit, modo.

nostrum praeter alios uberiores fontes Flori epitome usum esse censent. de hac quoque re suo loco copiosius agam.

G. Soltavus (De fontibus Plutarchi in secundo bello Punico enarrando, Bonnae 1870 p. 70 sqq. et p. 120), quocum Woelfflinus (Antiochus von Syrakus und Coelius Antipater, Winterthur 1872 p. 40, 78, 80) consentit, „pauca capita" auctorem de vir. ill. Coelio Antipatro debere inde conicit, quod noster et Plutarchus in vita Q. Fabii Cunctatoris describenda adeo concinunt (v. Solt. p. 70), ut eiusdem auctoris vestigia premere putandi sint[1]), Plutarchus autem e Coelio sua desumpsit. fateor hoc ex parte verum esse, praesertim cum praeterea Coeliana indicia[2]) in libro nostro appareant, sed non omnia, quae de bello Punico II narret, nostrum ex illo derivare, si cap. XLIX, 4 cum Livio XXI, 46, 10 contuleris[3]), patebit.

Denique H Hauptius (De auctoris de vir. ill. libro quaest. historicae, Francofurti 1876) Cornelio Nepoti librum nostrum vindicat. in hac sententia refutanda, quae cum per se verisimillima videatur esse, tum Jordano teste (Herm. VI, p. 207) gravissima Mommseni auctoritate firmetur[4]), diutius perseverem oportet.

Ac primum quidem Hauptius Woelfflini iudicium, qui Ampelii capp. XIV, XV, XXXIII e Nepote fluxisse censet, amplexus illius quoque, de quo supra diximus, inter Ampelium et auctorem de vir. ill. consensus causam inde repetendam esse putat, quod uterque ex Nepote sua deprompserit: nam discrepantiis[5]), quae exstent inter Hannibalis vitam a nostro auctore compositam et

1) Ex Plutarcho ipso auctor de vir. ill. sua neutiquam deprompsit. nam militi illi, quem equo et armis Fabius donavit, auctor de vir. ill. c. XLIII nomen indit Mario Statilio, cum nomen apud Plutarchum [c. XX, p. 222 ed. Doehn.] desideretur.

2) v. Woelfflinum l. l., deinde quae s. f. capitis XLIV de Marcelli ossibus exhibentur, ad Coelium refero, qui teste Livio [XXVII, 27, 11] tres de Marcelli morte narraverit versiones.

3) M. Posneri [Quibus auctoribus in bello Hannibalico enarrando usus sit Dio, Bonnae 1874] coniectura, qui [p. 59] suspicatur Livium hoc loco memoria lapsum pro Valerio Antiate Coelium scripsisse, mihi quidem non probatur.

4) Non pauci viri docti in hac opinione erant v. Cornelii Nepotis vitam ab A. van Stavereno editioni [Lugd. Batav. 1773] praefixam. Perizonius [animadv. hist. p. 376 s. f. ed. Harl.] idem videtur iudicare.

5) His discrepantiis commotus Woelfflinus sententiam, quam Hauptius sequitur, reiecit.

eam, quae sub Nepotis nomine tradita sit, hanc sententiam minime refutari, quoniam — Hauptii verba usurpamus — ea, quae Plutarchus Nepotem de Hannibale tradidisse refert, illi vitae, quam nos sub Nepotis nomine habemus, valde repugnant, quamobrem Rinckius (proleg. ad Aemilium Probum ed. Roth. p. LIV) hunc Hannibalem posteriore tempore compositum esse iudicavit, quo Nepotis istud scriptum de Hannibale seu Marcello non amplius exstitisset.

Ac mea quidem sententia illud Rinckii iudicium plane reiciendum est nam hoc uno firmatur argumento, quod Plutarchus (Comp. Pelopidae cum Marcello I, p. 378 ed. Doehner) Hannibalem a Marcello victum esse Nepotem tradidisse scribit, Nepos autem (v. Hann. V, 4, VI, 1) Hannibalem invictum facit. quid tandem? eodem iure, quo hac una dissensione commoti Hannibalis vitam a Nepote abiudicamus, nonne licet vel Plutarcho errorem (v. Soltavum l. l. p. 78) vel inconstantiam Nepoti (v. Nipperdeyum ad h. l.) attribuere? quare equidem nego illa Plutarchi verba tantum valere, ut „istud de Hannibale scriptum“, quod non secus ac ceterae Nepotis vitae traditum est, in dubitationem vocare debeamus; valde autem miror, quod Hauptius (p. 32) his tam suspectis verbis sententiam suam firmari autumat.

Verum multo suspectius alterum Plutarchi testimonium est, quod Hauptius ad comprobandum iudicium suum affert. narrat enim Plutarchus (v. Marc. XXX p. 377) a Valerio Maximo Cornelioque Nepote traditum esse Marcelli corpus digno habitu ornatum ab Hannibale crematum esse, reliquias ad filium missas a Numidis circumvagantibus interceptas esse et disiectas, Livium contra Caesaremque Augustum scripsisse reliquias ad filium perlatas honorifice sepultas esse. quid quod neque Valerius Maximus (V, 1, ext. 6 p. 794 ed. Kempf.) disiectarum, neque Livius (XXVII, 28, 1) perlatarum reliquiarum mentionem facit? ecquis huic auctorum comparationi ullam fidem tribuit putatque Nepotem et Caesarem, de quibus nihil certi statuere possumus, id quod Plutarchus eos tradidisse narrat revera tradidisse, quoniam de Valerio, quocum Nepotem, et de Livio, quocum Caesarem consentire somniat, in his tam ineptis erroribus eum versari videmus? minime, immo tali testimonio nihil puto comprobari atque graviter Hauptium peccare, qui harum difficultatum[1]) ne mentione quidem facta tali testimonio usus sit.

1) v. Perizonium animadv. hist. p. 376 ed. Harl., Koehlerum qua ratione

Atque etiam omissis his rebus Hauptii sententia labitur. nam apud Gellium (XVII, 21, 24 p. 197 ed. Hertz.) leguntur haec: „[Manlius] damnatus capitis e saxo Tarpeio, ut ait Varro, praeceps datus, ut Cornelius autem Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est.“ quamquam igitur auctor noster (cap. XXIV, 7) diserte scribit „de saxo Tarpeio praecipitatus“ tamen minime se perturbari Hauptius dicit, quoniam haud verisimile sit Nepotem a ceteris omnibus auctoribus de Manlii supplicio discrepantem vulgarem illam narrationem ne commemorasse quidem, itaque ex duabus narrationibus a Nepote propositis auctorem de vir. ill. eam ipsam eligere potuisse, quam Gellius non Nepotis sed Varronis propriam esse iudicavit; Nepotem autem haec fortasse scripsisse: „Manlius de saxo Tarpeio praecipitatus verberando necatus est.“ quid ineptius? si Nepos his tam perversis verbis usus esset, qui quaeso fieri potuit, ut et auctor de vir. ill. et Ampelius (c. XXVII, 4: Manlius ... de Tarpeio saxo praecipitatus est) eam potissimum eligerent versionem, „quam Gellius non Nepotis sed Varronis propriam esse iudicavit“? verum etiam relicto Ampelio Hauptii illa artificia corruunt. neque enim verborum sed rerum discrepantiam Gellius significat: Nepotem tradere Manlium per duumviros[1]) perduellioni iudicandae[2]) damnatum ideoque „more maiorum“ verberatum esse, Varronem autem, eum per tribunos damnatum ideoque de saxo Tarpeio praecipitatum esse [v. Schweglerum h. R III, 297, Mommsenum Herm. V, p. 252 = Quaest. Rom. II, p. 195].

Itemque nego ea, quae de die P. Cornelio Scipioni eiusque fratri dicta ab auctore nostro exponuntur (c. XLIX), e Nepote fluxisse. nam Nepos[3]) [apud Gellium IV, 18 p. 157] duos habet accusatores [„Petillii quidam tribuni pl.“], auctor noster [sicut Polybius XXIV, 9 p. 1125 ed. Hultsch.] unum [„a Petillio Ateio(?) tr. pl.“], Nepos [v. Polyb. l. l.] causam in senatu, noster apud

---

T. Livii annalibus cet. p. 32, Kempfium in praefatione editionis Val. Max. p. 18, Peterum de fontibus Plutarchi p. 75, Soltavum l. l. p. 56.

1) Liv. VI, 20, 12: sunt qui per duumviros qui de perduellione anquirerent, creatos auctores sint damnatum.

2) v. Mommsenum Röm. Staatsr. II p 600 n. 4.

3) v. L. Mercklinum, Die Citirmethode und Quellenbenutzung des A. Gellius in den noct. Att., in Jahni annalibus 1860, III suppl. p. 668.

populum actam esse tradit, Nepos duas distinguit accusationes, primam Petilliorum, alteram Naevii, noster tacet de Naevio, neque, sicut Hauptius opinatur, „auctor de vir. ill. duas illas accusationes confudit et ita Naevii nomen suppressit", immo hoc ipsum versionis a Valerio Antiate traditae proprium est, quod et querimoniae de Scipionibus habitae et calumniae in eos illatae ab eisdem Petilliis eodem loco eodemque anno factae esse narrantur [v. Mommsenum Herm. I, 206, 1 = Quaest. Rom. II p. 493]. quare neque Mommsenus neque Nissenus [Quaest. criticae cet. p. 215] errant, immo solus Hauptius, quem fugit Nepotem Claudio Quadrigario, Valerio Antiati auctorem de vir. ill. sua debere. quodsi hanc Mommseni sententiam Hauptius refutari opinatur, quia illud de libro rationum scisso non ex Antiate, sed e Polybio fluxisse Mommsenus ipse [Herm. p. 189 = Qu. R. II, p. 463] censeat, iterum plane errat[1]). neque enim nostrum, sed Livium e Polybio sua deprompsisse vir ille doctissimus censet, noster autem in hac re describenda a Livio non minus discrepat, quam a Nepote. etenim Livius [XXXVIII, 55, 10, Polyb. l. l, Gellius l. l.] in senatu, noster „in conspectu populi" P. Scipionem rationum librum scidisse refert, quia presse Valerium Antiatem sequitur, qui totam causam apud populum actam esse tradit, Livius autem, quamvis eodem Antiate pro praecipuo fonte usus sit, tamen in hac tanta auctorum dissensione [cfr. XXXVIII, 56, 1] Claudium et Polybium quoque respicit.

Sed ne dilatem hanc quaestionem ex aliis, quae mihi occurrebant, argumentis hoc unum affero. in cap. XLI legimus Carthaginienses a Q. Lutatio Catulo duce Hamilcare fugatos esse, Nepos autem (v. Hamilcaris 2) tradit: „ipse (Hamilcar) numquam hosti

1) Verum etiam omissis his Hauptius Mommseni iudicium depravavit, neque enim „ad Valerium Antiatem res ab auctore nostro traditas referendas esse" Mommsenus censet, sed unum ex fontibus praecipuis Antiatem esse [v. Herm. l. l... ob Antias nicht überhaupt eine Hauptquelle der Schrift de vir. ill. sei"], idque suo iure, quoniam ab Antiate Noster non paucis locis prorsus abhorret, velut c. II, 12 cfr Plutarchum v. Rom. XIV p. 30 Doehn., c. III, 3 cfr. Livium XL, 29, 3 et Plinium XIII, 13, 84 (v. Nissenum Quaest. crit. p. 236). c. XLIX, 8 cfr. Gellium VII (VI) 8, 6 p. 221 ed. Hertz, c. XLVII, 4 („quem inter navigandum ceperat") cfr. Livium XXXVII, 34, 6 (v. Weissenbornum ad h. l. et Nissenum l. l. p. 195) et Polybium XXI, 15, 3 p. 1048 ed. Hult.; c. LXI, 2 cfr. Orosium V, 3 p. 289 ed. Haverc.

cessit ... semperque superior decessit.“ itemque in eodem c. XLI noster Lutatium Catulum ipsum pacem Carthaginiensibus concessisse narrat, apud Nepotem autem (ibid. 5) propter nimiam Catuli ferociam non cum eo Carthaginienses pacem ineunt, sed legatos Romam mittunt.

Quae cum ita sint, cum tam multa a Nepote prorsus abhorreant, mihi quidem dubium non est, quin Hauptii sententia reicienda sit, atque inde quod de Luculli morte noster cum Nepote apud Plutarchum (v. Luculli XLIII p. 621) citato revera congruit, (v. Hauptium p. 32) nihil aliud sequitur, nisi auctorem, quo noster utatur, Nepoti nonnulla debere. cui sententiae favet, quod apud Ampelium quoque, qui ex eodem ac noster auctore pendet, certa Nepotis vestigia apparent. nam apud Ampelium (XIX, 4 cfr. XXVI, 2) leguntur haec: „Decimus Brutus Callaicus, qui C. Gracchum generum agrariis legibus reipublicae statum turbantem cum Opimio consule oppressit;“ quocum conferendus est Plutarchus [vit. Tib. Gracchi XXI p. 995]: ... *εἵλοντο Πόπλιον Κράσσον οἰκεῖον ὄντα Γράγχῳ. θυγατὴρ γὰρ αὐτοῦ Λικιννία Γαΐῳ Γράγχῳ συνῴκει. Καίτοι Νέπως ὁ Κορνήλιός φησιν οὐ Κράσσου, Βρούτου δὲ τοῦ θριαμβεύσαντος ἀπό Λυσιτανῶν θυγατέρα γῆμαι Γαΐον.*

Caput II.

Quibus rebus expositis priusquam ipse de libri nostri fontibus singulatim disseram, hoc mihi videtur in universum esse statuendum:

Is, qui hunc librum composuit, non ex annalibus ipse sua consarcinavit, immo ex auctoris libro hausit, qui vitas virorum illustrium descripsit.

Nam primum amplioribus annalibus auctorem nostrum ipsum usum esse aliquam fortasse probabilitatis speciem haberet, si unum vel duos scriptores eum presse sequi videremus. at tamen omnium fere veterum auctorum et Fabii Pictoris (ex. gr. II, 5 cfr. Dionys. II, 38—40 p. 160 sqq ed. Kiessl.) et Cassii Heminae (ex. gr. III, 3 cfr. Plin. XIII, 13, 84) et Calpurnii Pisonis (ex. gr. XLIIII, 3 cfr. Plinium XXXIV. 6, 30) et Coelii Antipatri (v. Soltavum l. l. p. 102) et Claudii Quadrigarii (ex. gr. XXX. 4

cfr. Liv. IX, 5, 2) et Valerii Antiatis (ex. gr. XLVII, 4 cfr. Liv. XXXIX, 43, 1 sqq.) et Licinii Macri (ex. gr. XXXIII, 10, XXXIV, 4 v. Mommsenum Qu. Rom. I p. 240 n. 36, p. 311 n. 52 et p. 315) vestigia apparent. quid igitur? omni nonne caret probabilitate auctorem, qualis noster est, ex immensis tot auctorum annalibus sua ita concinasse, ut alia ex alio depromeret? atque quamvis non omnes illae opinationes horum auctorum propriae fuerint, immo passim repetitae apud posteriores rerum scriptores, ecquis auctori nostro tantum ingenium tantumque iudicium tribuendum esse existimat, ut ex duobus vel tribus annalium voluminibus ea potissimum vel facta vel dicta excerpserit atque collegerit, quae auribus iudicioque Romanorum, qui legerent, maxime responderent?[1]) an ex amplis annalibus opinaris verisimile esse ea hausisse nostrum, quae de virorum illustrium originibus (capp. V, VI, VII, X, XV, XXV, XLVII, LVI, LVIII cet.), pueritiis (capp. VII, XLII, XLIX, LXXV), adulescentiis (capp. XXIV, XXVIII, XLIX, LVIII, LXXI cet), cognominibus (capp. X, XI, XV, XVIII, XIX, XXIV cet.), petitionibus repulsis (capp. LVI, LXI), donis militaribus (capp. VI, 9, XI, 2, XII, 6, XVII, 2, XIX, 1, XXIV, 2, XXVI, 3, XXXIII, 10 cet.), mortibus atque funeribus (capp. III, IV, VI, X, XV, XVIII, XXII cet.) tam accurate exponit? accedit, quod permultae eiusmodi res nisi apud auctorem de vir. ill. nusquam inveniuntur, velut ea quae de Fabii Rulli[2]) funere (cap. XXXII[3]), de Hannibalis sepulcro (c. XLII), de dracone Scipioni parvulo circumfuso (c. XLIX), de Antiochi morte (c. LIV[4]), de tribus L. Aemilii Pauli repulsis (c. LVI[5]),

1) v. Beckerum Topogr. Rom. I, p. 56: „Trotz einzelner Unrichtigkeiten spricht sich durch das Ganze ein gesunder Sinn aus und die Hauptmomente im Leben einzelner Personen sind mit Geschick und richtigem Takt hervorgehoben“. cfr. Schweglerum h. R. I, p. 117.

2) Ita scribendum est (v. Mommsenum Röm. Staatsr. I, p. 502 n. 2).

3) Valerii Maximi [V, 2, 3 p. 398 ed. Kempf.] verba ad Q. Fabium Cunctatorem referenda sunt [v. Kempfium ad h. l.]

4) Strabo [XVI, 18 p. 1038 ed. Meinek.], Diodorus [XXVIII, 3 p. 375 ed. Dind.], Justinus [XXXII, 2 p. 394 ed. Benek.] ab Elymaeis eum interfectum esse tradunt v. Polybium XXXI, 11 p. 1242 [cfr. Joseph. Antiqu. XII, 9 p. 468 ed. Dind.]

5) De una repulsa Livius [XXXIX, 32, 6], de altera, sed post primum consulatum lata Plutarchus [v. Aemil. VI p. 308] narrat, Valerius Maximus

de triumphali veste ei concessa (c. LVI, 5), de duabus Caecilii Metelli repulsis (c. LXI[1]), de Vespillonum cognomine (c. LXIV, 8), de M. Drusi aedilitate et quaestura (c. LXVI), de carbonario Scauri patris negotio[2]) (c. LXXVI), de M. Scauri adulescentia et aedilitate (c. LXXII), de muliere Sullae parvulo futura praedicente (c. LXXV), de M. Bruti quaestura (c. LXXXII), de cognomine Caryotae C. Cassio indito (c. LXXXIII, 3) refert. itemque nonnullos triumphos aut solus noster tradit velut P. Decii de Samnitibus (c. XXVII), M'. Curii de Lucanis (c. XXXIII), M. Livii de Illyriis (c. L), aut praeter eum soli fasti triumphales habent, ut P. Valerii Publicolae de Sabinis et Veientibus (c. XV cfr. C. J. L. I, p. 454), Q. Fabii Rulli de Samnitibus (c. XXXII cfr. C. J. L. I, p. 456) et de Apulis (c. XXXII cfr. C. J. L. I, p. 456), A. Atilii Calatini de Carthaginiensibus (c. XXXIX cfr. C. J. L. I, p. 458), M. Aemilii Scauri de Liguribus et Tauriscis[3]) (c. LXXII cfr. C. J. L. I, p. 460 ubi Galli Karni vocantur[4]). quid tandem? unde omnes illas de virorum illustrium infantiis atque adulescentiis, facinoribus atque laudibus, mortibus atque funeribus narratiunculas omniaque illa facete vel graviter dicta fluxisse verisimilius est, nisi ex auctoris libro, qui virorum illustrium vitas ab incunabulis usque ad supremum diem persequeretur?

Sed tota quaestio ad liquidum perducetur, si L. Ampelii librum memorialem cum auctore de vir. ill. contuleris. etenim Ampelium c. XVII reges Romanorum, c. XVIII clarissimos duces Romanorum, c. XIX Romanos, qui in toga fuerunt illustres, c. XX, qui pro patria se obtulerunt, c. XXI, qui spolia opima rettulerunt, c. XXII, qui provocati ab hostibus manu contenderunt, c. XXVIII duces exterarum gentium describentem permultis locis ad verbum cum auctore de vir. ill. concinere Woelfflinus

---

[VII, 5, 3 p. 573] scribit tantum: aliquotiens frustra consulatum (Aemilius) petiit.

1) Unius repulsae Valerius Maximus [VII, 5, 4 p. 574] mentionem facit.

2) Asconius in Scaur. p. 22 (cfr. p. 27) Orell. scribit tantum neque patrem neque avum neque proavum honores adeptos esse, tacet autem de carbonario negotio.

3) Ita ex codicis Bruxellensis scriptura Cauriscos Mommsenus h. R. II, p. 169 n. restituit, id quod Peterum vet. hist. Rom. rel. p. CCLV n. 2 fugit.

4) v Mommsenum l. l.

(De L. Ampelii libro mem. p. 35 sqq.) docet atque exempli gratia hos proponit locos:

auct. de vir. ill. XXXIII, 7	Ampel. XVIII, 8
Legatis Samnitium aurum offerentibus cum ipse in foco rapas torreret, malo, inquit, haec in fictilibus meis esse et aurum habentibus imperare.	Curius cum in foco rapas torreret legatis Samnitium aurum offerentibus, malo, inquit, haec in fictilibus meis esse et aurum habentibus imperare.
auct. de vir. ill. XLV, 2	Ampel. XVIII, 10
[M. Claudius Marcellus] primus docuit, quomodo milites cederent nec terga praeberent.	[Claudius Marcellus] docuit in bello quomodo equites sine fuga cederent.
auct. de vir. ill. LVII, 1	Ampel. XIX, 3
Scipionem Asiaticum quamvis inimicum duci in carcerem non est passus.	Scipionem Asiaticum, quamvis inimicum haberet, non est passus a tribunis in carcerem duci —
auct. de vir. ill. XII	Ampel. XX, 3.
Mucius Cordus — dextram aris imposuit.	Mucius Cordus, qui ignibus manum imposuit.

Quibus locis Hauptius (l. l. p. 8) hos addit:

auct. de vir. ill. LVI, 4	Ampel. XVIII, 13
In hac laetitia duos filios amisit et progressus ad populum gratias egit Fortunae quod —	— inter ipsos triumphi dies amissis duobus liberis pro contione dixit, gratias se agere fortunae quod —
auct. de vir. ill. LXXIII, 8	Ampel. XVIII, 14
Metellus exulare quam iurare maluit.	[Metellus] maluit in exilium ire quam iurare.
auct. de vir. ill. LXVI, 13	Ampel. XIX, 6
Invidia caedis apud Philippum ... fuit.	Livius Drusus per insidias a Philippo consule interfectus est.
auct. de vir. ill. XXIV, 5	Ampel. XXVII, 4
auct. de vir. ill. XXV, 6	Ampel. XXVIII, 3
auct. de vir. ill. LXVII, 4	Ampel. XLII, 1
auct. de vir. ill. LXXVII, 7	Ampel. XLVII, 5

Hi quoque loci mihi videntur esse respiciendi:

auct. de vir. ill. XLIII, 2	Ampel. XVIII, 6
[Fabius] Hannibalem mora fregit.	Fabius Hannibalem mora fregit,

auct. de vir. ill. XXXV, 6	Ampel. XLV, 2
[Pyrrhus] ad vicesimum ab urbe lapidem castra posuit.	Pyrrhus ad vicesimum lapidem .. concessit.
auct. de vir. ill. XLII, 6	Ampel. XLV, 2

Ac rectissime Woelfflinus censet totam rem iam profligatam videri posse, nisi plane nova interdum apud Ampelium deprehenderemus, quae apud auctorem de vir. ill. deessent. quamquam eorum condicionem non hanc esse, ut auctori nostro repugnent, ut potius eum supplere videantur. hoc autem proponit exemplum:

auct. de vir. ill. XXXI, 1	Ampel. XVIII, 7
L. Papirius a velocitate Cursor de Samnitibus triumphavit.	Papirius Cursor: hic Samnites, qui Romanos sub iugum pugnando miserant, victos ignominia pari affecit et a velocitate Cursor appellatus.

Hauptius haec addit:

auct. de vir. ill. LXI, 4	Ampel. XVIII, 14
auct. de vir. ill. LXXIV, 7	Ampel. XVIII, 18
auct. de vir. ill. XLIV	Ampel. XIX, 11
auct. de vir. ill. LXXII, 10	Ampel. XIX, 10
auct. de vir. ill. XXXV	Ampel. XXVIII, 3.

Quibus exemplis haec mihi videntur esse adicienda:

auct. de vir. ill. XLVII, 1	Ampel. XVIII, 3
Ti. Sempronius Gracchus nobilissima familia ortus Scipionem Asiaticum quamvis inimicum duci in carcerem non est passus.	Ti. Gracchus, qui Scipionem Asiaticum, quamvis inimicum haberet, non est passus a tribunis in carcerem duci, quod diceret nefas ibi esse Scipionem ubi captivi illius adhuc alligati tenerentur.
auct. de vir. ill. LVIII, 2	Ampel. XXII, 3
auct. de vir. ill. XVII, 5	Ampel. XXVII, 2
Iterum post viginti annos dictator dictus [Cincinnatus] Spurium Maelium regnum affectantem a Servilio Ahala magistro equitum occidi iussit.	Maelius cum frumentaria largitione affectare regnum videretur, iussu Quinctii Cincinnati dictatoris a magistro equitum in rostris occisus est.
auct. de vir. ill. XLII, 1 sqq.	Ampel. XXVIII, 4
auct. de vir. ill. XXXV, 6.	Ampel. XLV, 2

Quod quoniam Nostrum ex Ampelio sua minime sumpsisse manifestum est, plane cum Woelfflino consentio ad eundem fontem utrumque referendum esse. atque cum fieri non possit, ut ex multis illis annalibus et Nostrum et Ampelium easdem res eisdem verbis excerpsisse iudicemus, communem illum fontem ampliorem de viris illustribus librum substituamus necesse est.

Sed duo in libro nostro capita huic sententiae videntur obstare, dico c. XIV [Fabii trecenti sex] et c. XXII [Aesculapius Romam advectus]. nam dixerit aliquis haec capita in tenorem libri de viris illustribus scripti minime quadrare. audio, sed ipsa ea capita in prolixiore illo libro, unde noster excerptus est, non exstiterunt, immo aliunde addita sunt.

Jam vero de illis capitibus in integrum de viris illustribus librum insertis disseremus, quod ut faciamus, de ratione, quam inter Livium et Nostrum putemus intercedere, pauca dicamus oportet.

Caput III.

De Livio.

Quanta T. Livii annales apud aequales et posteriores floruerint admiratione et auctoritate quantumque apud omnes fere Graecos atque Romanos valuerint, qui Caesarum temporibus liberae reipublicae historiam describendam suscipiebant, nemo ignorat. quare verisimillimum potest videri Nostrum, quippe qui idem, quod Livius, temporis spatium perlustret, si non omnia, at permulta illi debere. quid quod in inscriptione[1]) codici Bruxellensi[2]) praemissa liber noster sub ipso Livii nomine traditur? nam quae sub fine huius inscriptionis, quam Th. Opitzius[3]) a scriptore illius de origine gentis Romanae libelli, grammatico saeculi quinti[4]) profectam esse suo iure censet, leguntur „proinde ut quisque neo-

1) v. Jordanum Herm. III, p. 395.

2) Hunc codicem (v. Roulesium in Bulletins de l'academie royale . . de Belgique t. XVII[1] [1850] p. 261 sqq.) post Andr. Schottii tempora per tria saecula deperditum, a Mommseno in bibliotheca Bruxellensi repertum benignitate E. Ouverleauxii, viri doctissimi, cui hoc loco gratias ago maximas, collatum habeo.

3) Quaestionum de Sex. Aurelio Victore capita tria in act. soc. phil. Lips. II p. 207.

4) v. Jordanum l. l. p. 397.

tericorum asseveravit hoc est et Livius et Victor Affer" Mommsenus[1]) ita explicavit, ut Livii nomine librum de vir. ill., ipsos „Caesares" Victoris significari ostenderet. itaque his externis causis illa Meieri Koehlerique coniectura, quam Jo. Neulingius[2]) et nuperrime Mommsenus[3]) amplexi sunt, videtur firmari librum nostrum aliis aliunde additis e Livio excerptum esse.

Ac mihi quidem ipsos Livii annales, qui integri exstant, et ubi desiderantur, omnes auctores, quos illorum asseclas esse constat, pedetemptim quam cautissime cum auctore de vir. ill. comparanti hoc quidem viris illis doctissimis videbatur esse concedendum, non deesse in libro nostro aperta Livii vestigia, sed hac de re diutissime meditatus mihi persuasi librum nostrum non e Livio excerptum esse nonnullis aliunde additis, immo e prolixiore de viris illustribus libro nonnullis e Livio additis. nam si eam inter Livium et Nostrum intercedere videremus rationem, ut hic singulis vitis singula adderet, quae apud illum desunt, aliquam fortasse veri speciem haberet, Nostrum suppositis Livii annalibus vel periochis „alia aliunde petita admiscuisse" — quamquam eodem iure etiam tum ad eundem fontem utrumque referre liceret — verum tamen cum permulta capita prorsus abhorreant a Livio cumque in ceteris omnibus exceptis duobus vel tribus ad alium iuxta Livium fontem confugere debeamus[4]), mea quidem sententia hoc statuendum est Nostrum minime Livio pro praecipuo fonte usum esse, sed alio quodam auctore, qui modo eosdem, modo alios ac Livius fontes adhiberet, omnia autem illa, quae ad verbum cum Livio concinunt, in integrum illius auctoris librum inculcata esse. ac quae capita ad Livium referenda sint, cum aliqua probabilitate conicere possumus, omnia autem, ut ita dicam, Liviana per totum librum nostrum dispersa enucleari vix possunt[5]).

Priusquam igitur ea capita proponam, quae e Livio puto fluxisse, de eis disseram, quae ad firmandum iudicium suum

1) Die Chronik des Cassiodorus Senator p. 551 n.

2) De belli Punici primi scriptorum fontibus Diss., Gottingae 1873 p. 18.

3) Quaest. Rom. II, p. 430.

4) v. Soltavum de fontibus Plut. p. 70.

5) Certe e Livio profecta mihi videntur esse haecce: c. VI, 3—5 cfr. Liv. I, 34, 8; c. VII, 3-5 cfr. Liv I, 41, c. VII, 9—14 cfr. Liv. I, 45, c. X, 2—4 cfr. Liv. I, 56, 9—12; fortasse etiam LV, 2 cfr. Liv. XXXVIII, 24 (v. Mommsenum Quaest. Rom. II, p. 541 n. 38).

Koehler protulit, dico capp. II, IX, XXIX, XXX, XXXI, XLVIII, L, LI, LIII.

Ac primum de capite II Hauptius disputavit rectissimeque explicavit, quas in ineptias Koehleri iudicio induceremur. neque enim quisquam adeo auctorem de vir. ill. res suas consarcinasse atque conglutinasse putabit, ut asylum a Romulo conditum esse e Livio, exercitum factum esse ex alio auctore[1]), virgines raptas esse e Livio, narratiunculas de virgine ad Talassium ducta[2]) et de Tarpeiae morte, bellum Caeninense[3]), explicationem nominum patrum et Lucerum ex alio auctore, Romuli mortem e Livio, res post mortem factas ex alio auctore desumeret. itemque c. XXIX [de M. Valerio Corvino] e Livio fluxisse nego. nam apud Livium [VII, 26, 12] ei nomen est Corvo[4]), apud Nostrum [v. Gell. IX, 11, 8, p. 245, Dionys. XV, 1, p. 208 ed. Kiessl., Dio fr. 34, p. 41 ed. Dind. (Zonar. VII, 25, p. 164 ed. Dind.)] Corvino, deinde quae de omnium terrore [v. Gell IX, 11, 6: ... „ceteris inter metum ambiguis"] et de aere alieno sublato [cfr. Appianum Samn. I, p. 14 ed. Didot: τὰς μὲν τῶν χρεῶν ἀποκοπὰς ἐψηφίσατο] noster narrat, apud Livium desiderantur. nequaquam porro c. XXX [de Sp. Postumio] e Livio auctor de vir. ill. expilavit. nam Samnitium ille dux a Livio [IX, 1, 2] Pontius, a nostro [cfr. Ampel. XXVIII, 2] Pontius Telesinus vocatur, deinde Livius [IX, 5, 2] diserte scribit non foedere, sed per sponsionem, noster ex foedere pacem Caudinam factam esse. neque minus c. XXXI [de L Papirio Cursore] a Livio abhorret: Livius [VIII, 30, 1] Papirium „incertis auspiciis", noster „adversis ominibus" urbe egressum esse tradit, Livius [VIII, 34, 1] stetisse cum Fabio tribunicium auxilium narrat, noster diserte habet: „nec supplicem tribuni tuebantur"[5]), denique Papirium gravissime increpuisse Praenestinum praetorem frustra apud Livium quaeras. itemque nego c. L [de Livio Salinatore] e Livio excerptum

1) v. Aldenhovenum Herm. V, p. 151.

2) Multo propius ad Plutarchum [Quaest. Rom. XXXI p. 335 ed. Duebn.] quam ad Livium [I, 9, 12] auctor noster accedit.

3) Livius tacet de Acrone.

4) VII, 32, 15; 40, 3 Livius eum Corvinum nominat, sed in eis ipsis rebus describendis alium sequitur auctorem (v. Clasonum h. R. II, p. 20).

5) Auctor de vir. ill. § 3: dein pater lacrimis, populus precibus veniam impetrarunt; Livius VIII, 35, 5: Fabius . . . donatur populo Romano, donatur tribuniciae potestati precarium, non iustum auxilium ferenti.

esse, qui neque de triumpho de Illyriis acto neque de peculatus crimine[1]) [cfr. Pseudo-Frontin. IV, 1, 45, p. 84 ed. Deder.] neque de illa stipendii privatione[2]) verba faciat. deinde plane perversum mihi videtur esse c. LI [de T. Quinctio Flaminino] ad Livium referre. etenim Livius [XXX, 11, 1, cfr. Diod. XXX, 5, p. 396 ed. Dind. App. Mac. IV, p. 166] uno pastore duce, noster [cfr. Plut. v. Flam. IV, p. 442: *προσῆλθον ἄνθρωποι τῶν αὐτόθι νεμόντων*] ducibus pastoribus Flamininum provinciam ingressum esse tradit; Livius illum Epirotarum principem Charopum, noster Charopam vocat, Livius [XXXIV, 41, 3] Nemeis Argivorum, noster [cfr. Flor. I, 23, p. 42 extr. ed. Jahn., Plutarch. v. Flam. XII, p. 448: *ἐκεῖ τοῖς Ἕλλησι τὴν ἐλευθερίαν ἀπὸ κήρυκος ἀνεῖπεν*] omnium Graecorum libertatem pronuntiatam esse scribit. denique quibus argumentis comprobari possit, c. LIII [de L Scipione Asiatico] e Livio fluxisse, me fugit. neque enim quicquam apud Livium invenitur aut de corporis infirmitate aut de laudibus a fratre in Africa[3]) acceptis aut de equo Scipioni ignominiae causa[4]) adempto [cfr. Plut. v. Cat. mai. XVIII, p. 413: *ἔδοξεν οἷον ἐφυβρίζων Ἀφρικάνῳ Σκηπίωνι τοῦτο ποιεῖν*].

Quibus capitibus perlustratis satis mihi videor demonstrasse ipsis eis exemplis, quae Koehler protulit, eius sententiam refutari. quare quamvis c. XLVIII e Livio sumptum esse nullo argumento refellere me posse confitear, tamen quia nullus verborum, sed solus rerum exstat consensus, huius causam inde repeto, quod auctor, quem Noster sequitur, eiusdem ac Livius scriptoris vestigia premit.

Hauptius capp. XXXVI et LXX quoque ad Livium refert, quod mihi quidem negandum videtur esse. nam licet capitis XXXVI verba „luxuria paene perierunt" cum Orosio [IV, 5, p. 223 ed. Haverc.] concinant, tamen dux ille a Romanis contra Volsinienses missus a Floro [I, 16, p. 26] et Dione [apud Zonaram VIII, 7, p. 194], quos Livii assectatores esse constat, Fabius vocatur, a nostro auctore Decius Mus. itemque minime cum Hauptio consentio fortuitum

---

1) Livius XXII, 35, 3, XXVII, 34, 3, XXIX, 37, 9 rem leviter attingit.

2) v. Mommsenum Röm. Staatsr. II, p. 405 n. 3.

3) Livius XXVIII, 4, 2 [„collaudato fratre"] in Hispania eum facit a fratre laudatum.

4) v. Mommsenum Herm. I, p. 198 n. 3 = Quaest. Rom. II, p. 477 n. 127.

unius vocis satellitis cum Orosio [1]) consensum tantum valere, ut cap. LXX e Livio manasse credamus. etenim omnes, qui Livium sequuntur, auctores et Orosius [2]) [VI, 2, p. 372] et Appianus [3]) [Mithr. LII, p. 234] et Velleius [4]) [II, 24, 1, p. 30 ed. Kr.] Flaccum a Fimbria ipso interfectum esse tradunt, noster habet „interficiendum curavit", deinde Appianus [1 l. c. LIII] Minervae templum combustum esse narrat, auctor de vir. ill. diserte scribit: „Minervae templum inviolatum stetit," denique Orosius [5]) l. l. Thyatirae, noster Pergami obsessum mortem sibi conscivisse Fimbriam prodit.

Haec autem capita cum Livio adeo ad verbum consentiunt, ut ex eo fluxisse putanda sint:

I) duo illa ad c. IV additamenta [v. Aldenhovenum Herm. V, p. 152 n. 4].

II) c. IX [v. Koehlerum l. l.].

III) c. XIV [6]). nam prorsus cum Livio concinit: „familia" Fabiorum [cfr. Liv. II, 49, I] pro gente Fabia, „privato nomine" [Liv.: „bellum in privatam curam, in privata arma versum"], „profecti" [Liv. II, 49, 8], „in conspectu" [Liv. II, 50, 5: „ad conspecta"] cet.; verba: „dies quo id factum inter nefastos relatus," quae apud Livium desunt, Noster e capite XXIII, 7, et verba, „qui Hannibalem mora fregit" e capite XLIII, 2 transtulit. denique hoc caput XIV eo suspectius est, quod, cum cetera omnia praeter capp. XX [7]) et XXII servato aliquo dumtaxat temporis

---

1)

Orosius VI, 2 p. 372.	auct. de vir. ill. LXX
[C. Flavius] Fimbria Marianorum scelerum satelles homo omnium audacissimus.	C. Flavius Fimbria saevissimus quippe Cinnae satelles.

2) v. Th. de Moernerum de Orosii vita eiusque hist. libr. VII adv. pag., Berolini 1844 p. 162.

3) v. E. Klebsium De scriptoribus aetatis Sullanae, Berolini 1876 p. 33.

4) v. Klebsium, p. 57.

5) Appianus [Mithr. LX p. 238] nullum designat locum.

6) Cfr. Woelfflinum Philolog. t. XI, p. 167, Mommsenum Quaest. Rom. II, p. 252 n. 35.

7) De hoc capite quid iudicandum sit, parum mihi liquet. nam vel relicta collocatione, de qua alio loco agam, redundat erroribus [v. Clasonum h. R. p. 206 n. 108] nec quicquam Livio addit, tamen, quia nullo loco verbis cum Livio concinit, nihil certi statuere audeo.

ordine collocata sint, c. XIV inter Cloeliae et P. Valerii Publicolae vitas inculcatum est.

IV) c. XXII [v. Hauptium, p. 12].

Caput IV.

Quare ex duabus partibus librum nostrum videmus constare, quarum altera (capp. IX, XIV, XXII) e Livianis annalibus originem traxit, altera eaque multo maior (c. I—VIII, X—XIII, XV—XXI, XXIII—LXXXIII) ex illo de viris illustribus auctore pendet, quem et Noster et Ampelius sequuntur. atque quamvis minime dubitem concedere praeter tria illa capita hoc aliudve communi illi auctori abrogandum esse, tamen Hauptium excedere modum mihi persuasum est, qui capp. XIII, XVI, XIX, XXI, XXIV, XXV, XXIX, XXXV, XXXVI—XLII, XLVI, L—LV, LIX, LXVIII—LXXI, LXXIII, LXXVI, LXXXIII in integro illo libro exstitisse neget. nam primum permulta, quae in illis capitibus enarrantur, eisdem fere verbis apud Ampelium invenimus: cap. XIX, cfr. Amp. XXVII, 1; cap. XXIV, cfr. Amp. XXVII, 2; cap. XXV, cfr. Amp. XXI; cap. XXIX, cfr. Amp. XXII, 2; cap. XXXV[1]), cfr. Amp. XXVIII, 3; cap. XLI[2]), cfr. Amp. XLVI, 2; cap. XLII, cfr. Amp. XXVIII, 4, XXXIII, 2, XLV, 2, XLVI, 4; cap. LI, cfr. Amp. XLIV, XLVII, 1; cap. LII, cfr. Amp. XLVII, 3; cap. LIII, cfr. Amp. XXIV. deinde cetera capita, quae apud Ampelium desiderantur, cur Hauptius e primario illo fonte eicienda esse censeat, non assequor. nam cum Ampelius quoque nonnullos viros commemoret, qui a Nostro reticentur, hoc statuendum est neque Ampelium neque Nostrum omnes excerpsisse vitas a communi auctore prolatas, sed modo hanc modo illam utrumque praetermisisse. itemque nulla mihi videtur esse causa, cur mulierum illustrium vitas in illo libro locum habuisse negemus ideoque capp. XIII, XLVI, LXXXVI in dubitationem vocemus. nam Varronem quidem in libris, qui inscribuntur hebdomades vel

---

1) Uterque [v. Florum I, 13 p. 23, 10 ed. Jahn.] a Curio et Fabricio Pyrrhum victum esse perverse tradit.

2) Uterque [v. Orosium IV, 11 p. 243] pacis condiciones fuisse narrat, ut Sicilia et Sardinia Carthaginienses decederent (v. Woelfflinum Antiochus v. Syrakus cet. p. 40 et 80, Neulingium De belli Punici cet. p. 56 sqq.)

de imaginibus (v. Gell. III, 10, 1, p. 123) mulieres constat[1]) „parca laude perstrinxisse[2])“, neque verendum esse equidem puto, ne a veritate aberremus, si omnes auctores, qui de viris illustribus scripserunt, Varronis exemplum secutos mulieres quoque celebravisse conicimus, quae Urbis vel patriae suae gloriam illustravissent. cui coniecturae minime obstat, quod de viris illustribus libri illi inscripti sunt, quoniam mulierum laus ibi per capita perpauca patuisse putanda est atque reapse a Nostro nisi trium illustrium mulierum vitae memoriae produntur nullae.

Sed haec hactenus, nunc iam, quem integri de vir. ill. libri substituamus fontem, quaeremus.

Caput V.

De Hygino.

Hieronymus [proleg ad Dextrum in libr. de vir. ill. t. II, p. 821, Vall.] apud Latinos Varronem, Santram, Nepotem, Hyginum, Suetonium de viris illustribus scripsisse tradit. quod quoniam aliquem de vir. ill. librum praecipunm Nostri ducem putandum esse supra certis, ni fallor, argumentis comprobavi, neque ulla est causa, cur Hieronymum non omnes huius generis scriptores cognitos habuisse atque enumerasse credamus, unum ex illis auctoribus substituamus necesse est. nam cum constet eidem ac Nostrum auctori Ampelium sua debere, Ampelius autem imperatore Antonino Pio[3]) librum memorialem composuerit, communis ille auctor post Hieronymi tempora poni non potest.

Ac primus quidem Varro in Hebdomadibus — nam ad eas[4]) Hieronymi verba spectant — singulis imaginibus nihil nisi epigram-

1) Cfr. Ritschelium Quo ordine Varronis Hebdomades dispositae fuerint in Ind. Schol. Bonn. 1856 p. XII n. s. f., Creuzerum Zeitschr. f. Alterthumsw. I, p. 1060, Chappuisium Fragments des Ouvrages de M. Terentius Varron, Paris 1868 p. 105.

2) Symmachi [Ep. I, 4] de Varronis imaginibus verba imitamur.

3) v. Woelfflinum De L. Ampelii libro memoriali cet. p. 49. — Zinkius [Zum liber memorialis des L. Ampelius, Eos II (1866), p. 327] Traiani temporibus librum memorialem vindicat, sed non desunt indicia [v. Woelfflinum l. l. p. 47 s. f], quibus ad Hadriani aetatem ducimur.

4) Cfr. G. J. Vossium De hist. Lat. I, p. 56, Krahnerum Commentat. de M. Terentii Varronis Antiqu. rer. human. et divin. XLI specimen, Halis 1834 p. 9,

mata et tam praecisas tamque breviculas explanationes[1]) subscripsit, ut fieri nullo modo posset, ut ex hoc opere liber noster excerperetur. accedit, quod non leves inter Nostrum et Varronem exstant discrepantiae velut quae de origine nominum Talassii [c. II, 2, v. Varronem apud Festum s. v. Talassionis, p. 351 Muell.] Lucerum [c. II, 11[2]) v. Varronem L. L. V, 55, p. 22, Muell. et apud Servium V, 560, p. 338 ed. Lion.], de triginta curiarum nominibus [c. II, 12 v. Varronem apud Dionysium Hal. II, 47, p. 171] exhibentur.

Deinde Santra in libris de vir. ill. scriptis, quos praeter Hieronymum solus Suetonius[3]) atque is in vitis poëtarum, dico Terentium et Lucilium, commemorat, nisi virorum in literis illustrium vitas nullas mihi quidem videtur composuisse, praesertim cum cetera Santrae scripta praeter Nuptias Bacchi[4]), quae dicuntur, in solis rebus grammaticis vel literariis versata essent.

Tum de Nepote supra diximus demonstravimusque tam multa in libro nostro inveniri, quae ab eo prorsus abhorrerent, ut Nepotem praecipuum Nostri ducem fuisse negandum atque infitiandum sit.

Denique Suetonium virorum ingenio solum illustrium laudes celebravisse, regum et ducum memoriam in libris de vir. ill. scriptis non attigisse Reifferscheidius[5]) docet, quare ne Suetonio quidem

---

Ritschelium Parerg. Plaut. I p. 621 et die Schriftstellerei des M. Terentius Varro, Bonn 1847 p. 35.

1) Cfr. Creuzerum Zeitschrift f. Alterthumsw. I, p. 1060, Ch. Fr. Baehrium hist. litt. II p. 33, Fr. Ritschelium Quaest. Varronianae in Ind. Schol. Bonn. 1835 p. 13 et Die Schriftstellerei cet. p. 33, G. Boissierum Étude sur la vie et les ouvrages de M. Terentius Varron, Paris 1861 p. 341 s. f.

2) „a luci communione" habet cod. Brux., „a Lucio" cod. Laurentianus (v. Bandinium Catal. codd. lat. II p. 241), qui nuperrime collatus mihi praesto est. „a Luctinone communione" cod. Vaticanus (v. Urlichsium Eos II 1866 p. 231). hunc quoque codicem ad hoc tempus in usum non vocatum A. Mauii, viri doctissimi, benignitate collatum habeo. atque cum non pauci alii codices [v. Schroeterum ad h. l.] eandem exhibeant lectionem, procul dubio scribendum est: „a luci communione".

3) Cfr. Reifferscheidium C. Suetonii Tranquilli . . . reliquiae, Lipsiae 1860 p. 31, 10 et 112, 3.

4) v. Baehrium in Paulyi Realencycl. VI, p. 745, Ribbeckium Tragicorum fragm. p. 228.

5) Suetonii . . . reliquiae p. 367—368.

librum nostrum vindicare possumus, praesertim cum nonnulla ibi inveniantur, quae Suetonio repugnent velut omnia, quae de regibus [c. II—VIII v. Suetonium, p. 318 sqq.] et quae de Claudia virgine Vestali[1]) [c. XLVI v. Sueton. v. Tib. 2] narrantur.

Quae cum ita sint, cum ceteros omnes de vir. ill. auctores, quos Hieronymus enumerat, dimittendos esse videamus, unus nobis restat C. Julius Hyginus, quem mea quidem sententia praecipuum rerum a Nostro et Ampelio narratarum auctorem esse Woelfflinus rectissime posuit. quid quod vel relicto illo Hieronymi testimonio nonnullae de P. Cornelio Scipione narratiunculae a Nostro relatae teste Gellio ab Hygino in ipsis de vir. ill. libris eisdem fere verbis narratae sunt. scripserunt enim haec:

Gellius VI (VII), 1, p. 183.	auct. de vir. ill. XLIX.
C. Oppius et Julius Hyginus aliique qui de vita et rebus Africani scripserunt matrem eius diu sterilem existimatam tradunt . . . postea in cubiculo atque lecto mulieris . . . visum repente esse iuxta eam cubare ingentem anguem . . . neque multis diebus postquam ille anguis visus est, mulierem coepisse concepti fetus signa atque sensum pati . . .	— antequam conciperetur serpens in lecto matris eius apparuit et ipsi parvulo draco circumfusus nihil nocuit.
Scipionem hunc Africanum solitavisse noctis extremo . . . in Capitolium ventitare ac iubere aperiri cellam Jovis atque ibi solum diu demorari, quasi consultantem de republica cum Jove aeditumosque eius templi saepe esse demiratos, quod solum id temporis in Capitolium ingredientem canes . . neque latrarent eum neque incurrerent.	In Capitolium intempesta nocte euntem numquam canes latraverunt. nec hic quicquam prius coepit quam in cella Jovis diutissime sedisset, quasi divinam mentem accepisset.

1) Noster [v. Hieronymum adv. Jovian. c. 26 et Herodianum I, 11] Claudiam facit virginem Vestalem, Suetonius [v. Ciceronem de harusp. responsis XIII, 27, Livium XXIX, 12, 1, Ovidium fast. IV, 313 (cfr. Merckelium in praef. p. CLXXXII), Appianum Hann. LVI p. 97] matronam eam fuisse tradunt.

Adde quod apud Ampelium quoque Hygini vestigia exstare hac cum Gellio comparatione docemur:

Gellius IV, 8, 7, p. 146 [XVII, 21, 39, p. 198].	Amp. XVIII, 9.
Rufinum bis consulatu et dictatura functum censor Fabricius senatu movit quod decem pondo libras argenti facti haberet.	Fabricius Luscinius, qui Cornelium Rufinum consularem virum senatu amovit luxuriae et avaritiae damnatum quod decem pondo argenti possideret.

Ad eundem auctorem utrumque referendum esse primo obtutu apparet. quod quoniam Gellius simile de Fabricii severitate exemplum cap. XIV libri primi propositum ex Hygino se depromere ipse fatetur, quem quaeso huius quoque narrationis auctorem substituere tutius est, quam eundem Hyginum? sed, utut est, hoc e Gellio I, 14, p. 57 patet, vel Fabricii Luscini, quem Ampelius laudibus effert, vitam ab Hygino in libris de vir. ill. descriptam fuisse. itaque quamvis de Hygini opere, quale fuerit, in hac tanta testimoniorum penuria nihil certi iudicari possit, hoc tamen constat, civium de republica bene meritorum laudem atque gloriam ibi latis finibus circumscriptam fuisse, id quod in nostrum de vir. ill. librum optime quadrare nemo negabit. itemque quae de Hygini operis argumento condicioneque e perpaucis, quae ad hanc aetatem permanserunt, fragmentis cum aliqua probabilitate ratiocinari possumus, coniecturae nostrae favent. nam suo iure Chr. B. Buntius [De C. Julii Hygini, Augusti liberti, vita et scriptis, Marburgi, 1846, p. 39] censet, Hyginum in libris de vir. ill. scriptis „non solum protulisse historiam, quam dicunt, pragmatico-criticam, sed etiam narrationes fabulosas et miraculosas, quae aut in hominum ore circumferebantur, aut in scriptis traditae fuerant". huic autem operis speciei libri nostri indolem plane respondere neminem latet.

Quae cum ita sint, cum illis Hieronymi verbis ad solum Hyginum ducamur cumque et apud Nostrum et apud Ampelium aperta Hygini vestigia indiciaquae inveniamus, Woelfflini illud iudicium mihi quidem verisimillimum videtur esse, primarium libri nostri fontem Hyginum esse.

Quodsi hucusque cum viro illo doctissimo consentio, cui in hac quaestione instituenda permulta me debere gratissimo animo

confiteor, tamen tam presse eius iudicium sequi non possum, ut auctorem nostrum ipsis Hygini libris usum esse concedam, sed aliam mihi persuasi inter eos intercedere rationem. quae qualis sit ut intelligatur, de miro illo inter Florum et Nostrum consensu disseramus oportet.

De Floro.

Quicunque enim librum nostrum cum Flori epitome comparaverit, haud dubie Spengelio assentietur, auctores cum permultis locis ad verbum concinere tum nonnulla tradere, quae apud alios auctores aut plane desiderentur aut prorsus aliter narrentur.

Ex maximo illorum locorum numero additis nonnullis, qui a Spengelio et Hauptio omissi sunt, hi mihi videntur esse respiciendi:

Flor. I, 1, p. 10, 11 ed. Jahn.	auct. de vir. ill. VI, 5.
[Tullius] regnum dolo partum sic egit industrie, ut iure adeptus videretur.	[Tarquinius] regnum intercepit et ita administravit quasi iure adeptus esset.
Flor. I, 4, p. 14, 9[1]).	auct. de vir. ill. XVI, 2.
— apud Regilli lacum dimicavit Marte vario — Cossus equitum magister exuere frenos imperavit... quo acrius incurrerent.	.. apud Regilli lacum cum hostibus conflixit. ubi cum victoria nutaret magister equitum equis frenos detrahi iussit, ut irrevocabili impetu ferrentur.
Flor. I, 7, p. 17, 23[2]).	auct. de vir. ill. XXIII, 9.
iuventus... duce Manlio arcem Capitolini insedit....	reliqua iuventus cum Manlio in Capitolium fugit.
Flor. I, 7, p. 17, 30.	auct. de vir. ill. XXIII, 8
ibi sedentes in curulibus praetextatos senes velut deos geniosque venerati mox eosdem postquam esse homines liquebat... pari vecordia mactant.	nobilissimos senum in curulibus et honorum insignibus primo ut deos venerati deinde ut homines despicati interfecere.
Flor. I, 7, p. 18, 7.	auct. de vir. ill. XXIV, 4
Manlius nocte subeuntes clangore anseris excitatus a summa rupe deiecit.	[Manlius] quadam nocte clangore anseris excitatus Gallos ascendentes deiecit.

1) Cfr. Perizonium animadv. hist. p. 327 ed. Harl.
2) Cfr. Schweglerum III, p. 249 n. 1.

Flor. I, 17, p. 26, 23.

— Camillum, quod inique.... divisisse Veientem praedam videretur.

auct. de vir. ill. XXIII, 4[1])

— Camillo, quod albis equis triumphasset et praedam inique divisisset.

Flor. I, 22, p. 40, 24.

— actum erat procul dubio si vir ille se cum fratre iunxisset.

auct. de vir. ill. XLVIII, 1

actumque erat de Romano imperio, si iungere se Hannibali potuisset.

Flor. I, 24, p. 43, 28[2]).

— suis opibus et nomine regio fretus satis habuit bellum movere ... Lysimachiam urbem in litore Thracio positam a maioribus suis Antiochus ut hereditario iure repetebat... occupatis statim insulis Graeciaeque litoribus otia et luxus quasi victor agitabat.... [Glabrio] ipso statim adventus sui nuntio coegit ab insula refugere.

auct. de vir. ill. LIV

— nimia opum fiducia bellum Romanis intulit specie Lysimachiae repetendae, quam a maioribus suis traditam Romani possidebant statimque Graeciam insulasque eius occupavit. Euboea luxuria elanguit. adventu Acillii Glabrionis excitus ....

Flor. I, 27 p. 46, 1.

fuerint inter auxilia regis Antiochi an fuisse cupidus triumphi Manlius Vulso simulaverit, dubium.

auct. de vir. ill. LV.

Cn. Manlius Vulso ... cupidine triumphi bellum Pisidis et Gallograecis, qui Antiocho affuerant, intulit.

Flor. I, 39, p. 63, 24.

— Artabazes a septem Persis oriundus inde Mithridates.

auct. de vir. ill. LXXVI

Mithridates rex Ponti a septem Persis oriundus.

Flor. II, 2, p. 80, 10.

— cum ad perpetranda coepta die comitiorum prorogari sibi vellet imperium ... inde cum in Capi-

auct. de vir. ill. LXIV, 6

deinde cum prorogare sibi potestatem vellet adversis auspiciis in publicum processit statimque Capi-

1) Cum solus auctor noster haec duo afferat crimina [v. Mommsenum Herm. I, p. 183 = Qu. Rom. II, p. 454 n. 81] cumque ad verbum cum Floro concinat, mihi quidem dubium non est, quin praecipuus, quem sequitur, scriptor primum illud de albis equis crimen [cfr. Diod. XIV, 117 p. 142 ed. Dind.] tradiderit, alterum autem de praeda inique divisa e Floro additum sit.

2) v. Koehlerum Qua ratione cet. p. 27.

tolium fugisset plebemque ad defensionem salutis suae manu caput tangens hortaretur, praebuit speciem regni sibi et diadema poscentis atque ita duce Scipione Nasica concitato in arma populo quasi iure oppressus est.

tolium petiit manum ad caput referens quo salutem suam populo commendabat. hoc nobilitas ita accepit, quasi diadema posceretur[1]), segniterque cessante Mucio consule Scipio Nasica sequi se iussis, qui salvam rempublicam vellent, Gracchum in Capitolium persecutus oppressit.

Flor. II, 4 p. 81, 14

— ut satellitem furoris sui Glauciam consulem faceret P. Mummium competitorem interfici iussit.

auct. de vir. ill. LXXIII, 9

. . ut satellitem suum Glauciam praetorem consulem faceret, P. Mummium[2]) competitorem eius in campo Martio necandum curavit.

Flor. II, 11 p. 92, 9.

Lepidus acta tanti viri rescindere parabat.

auct. de vir. ill. LXXVII.

Lepidum acta Sullae rescindere volentem privatus Italia fugavit.

Flor. II, 13 p. 100, 7

— Septimii desertoris sui gladio trucidatus sub oculis uxoris suae liberorumque moreretur.

auct. de vir. ill. LXXVII, 10

— huius latus sub oculis uxoris et liberorum a Septimio Ptolemaei praefecto mucrone confossus est.

Flor. II, 14, p. 105, 13

— dum Sextus paterna repetit trepidatum toto mari.

Flor. II, 18 p. 110, 24

. . in Siculo freto iuvenis oppressus est.

auct. de vir. ill. LXXIX, 2

[Sextum] bona paterna repetentem in freto Siculo superavit.

Flor. II, 18 p. 110, 10

— cumque invitante ipso in navem discubitum est . . hae sunt, inquit, meae carinae, haud incomiter, quod,

auct. de vir. ill. LXXXIV, 3

— epulatus in navi cum Antonio et Caesare non invenuste ait: hae sunt meae carinae, quia Romae in

1) Sic cum codd. Bruxell., Laurent. Vatic., aliis [v. Schroeterum ad h. l.] legendum est.

2) Ita scribunt codd. B., L., multi alii [v. Schroeterum ad h. l.]; falso igitur auctor de vir. ill. sicut Florus Mummium habet pro Memmio.

cum in celeberrima parte urbis Carinis pater eius habitasset, ipsius domus et penates in navi penderent.	Carinis domum eius Antonius tenebat.
Flor. II, 20 p. 113, 6	auct. de vir. ill. LXXXV, 4
— sic vix tertia parte de XVI legionibus reliqua —	vix tertiam partem de XV legionibus in Aegyptum perduxit.
Flor. II, 18 p. 110, 6	auct. de vir. ill. LXXXIV, 2
— ob haec tot prospere facta centum bobus auratis Peloro litavit spirantemque equum cum auro in fretum misit dona Neptuno putant.	— cum mari feliciter uteretur Neptuni se filium confessus est eumque bobus auratis et equo placavit.
Flor. II, 21 p. 114, 22	auct. de vir. ill. LXXXVI, 3
— in Mausoleum . . se recepit ibi . . admotis . . . serpentibus sic morte . . . soluta est.	in Mausoleo eius admotis aspidibus periit.
Flor. II, 34 p. 123, 9	auct. de vir. ill. LXXIX, 4
— nam et Scythae misere legatos et Sarmatae amicitiam petentes. Seres etiam habitantesque sub ipso sole Indi cum gemmis et margaritis elephantos quoque inter munera trahentes — Parthi quoque . . rapta clade Crassiana signa ultro rettulere . . . ausus que Caesar Augustus DCC anno ab urbe condita Janum Geminum cludere bis ante se clusum sub rege Numa et victa primum Carthagine. ob haec tot facta ingentia dictator perpetuus et pater patriae . . . sed reverentius visum est nomen Augusti.	huic Parthi signa, quae Crasso sustulerant, ultro reddiderunt. Indi, Scythae, Sarmatae, Daci, quos non domuerat, dona miserunt. Jani Gemini portas bis ante se clausas primo sub Numa iterum post primum Punicum bellum sua manu clausit. Dictator in perpetuum factus a senatu ob res gestas divus Augustus est appellatus.

Ac primum quidem auctores nusquam adeo consentiunt, ut alter omnia, quae tradit, ex altero depromere potuerit, sed modo Florus modo Noster nonnulla refert, quae non ex libidine addita esse comparatione cum aliis auctoribus facta videmus. exempli gratia primum locum a Spengelio propositum affero:

Flor. II, 2 p. 80, 10

Cum ad perpetranda coepta die comitiorum prorogari sibi vellet imperium obvia nobilitas ... caedes a foro coepit. inde cum in Capitolium profugisset plebemque ad defensionem salutis suae manu caput tangens hortaretur praebuit speciem regnum sibi et diadema poscentis atque ita duce Scipione concitato in arma populo quasi iure oppressus est.

auct. de vir. ill. LXIV, 6

deinde cum prorogare sibi vellet potestatem adversis auspiciis in publicum concessit. statimque Capitolium petiit manum ad caput referens quo salutem suam populo commendabat. hoc nobilitas ita accepit, quasi diadema posceretur segniterque cessante Mucio consule Scipio sequi se iussis, qui salvam rempublicam vellent Gracchum in Capitolium persecutus oppressit.

Ecce adversis auspiciis Gracchum in publicum concessisse frustra apud Florum quaeras, invenias apud Plutarchum [v. Ti. Gracchi XVII p. 912] et Valerium Maximum [I, 4, 2 p. 128], deinde illud de „cessante Mucio", quod apud Florum non legitur, praeter Nostrum Cicero [Tusc. IV, 23, 51], Plutarchus [l. l. XIX] alii narrant, denique illud Nasicae iussum Cicero l. l., Valerius Maximus [III, 2, 17 p. 255], Velleius [II, 3 p. 17], Plutarchus [l. l. c. XX], Appianus [b. c. I, 16 p. 291] tradunt.

Quod quoniam Hauptius de multis aliis locis idem ostendit, satis habeo hoc unum proponere exemplum. atque quo minus credibile est, Florum nonnulla ex nostro libro excerpsisse, eo verisimilius est illud Spengelii iudicium, auctorem de vir. ill. in componendo libro suo passim Flori epitome usum modo haec modo illa inde desumpta in integrum, quem presse sequitur, librum inseruisse.

Woelfflinus et Hauptius illius inter Florum et Nostrum consensus causam inde repetendam esse censent, quod ex eodem fonte uterque sua hauserit.

At primum neque Woelfflinus Hygini neque Hauptius Nepotis vestigia apud Florum ostenderunt, sed nostrum librum ad Hyginum vel Nepotem referendum esse opinati idem de Floro certis argumentis demonstrare supervacaneum esse putaverunt. atqui Florum universam liberae reipublicae historiam perscribentem libro de viris illustribus usum esse a probabilitate tam procul abhorret, ut, nisi gravissimis et firmissimis argumentis comprobetur, mihi

quidem negandum videatur esse. quid tandem? ineptos illos errores nisi a Floro et Nostro a nullo auctore traditos, velut Ancum Marcium nova moenia oppido circumdedisse [auct. de vir. ill. V, 2 Flor. I, 1 p. 9[1])], Atilium Calatinum Drepanum et Lilybaeum expugnasse [auct. de vir. ill. XXXIX, Flor. I, 18 p. 30, 12[2])], Hannibalem, postquam ad tertium ab urbe lapidem castra posuisset, a Fabio Maximo frustratum esse [auct. de vir. ill. XLII, 6 Flor. I, 22 p. 37, 25 sqq.[3])], Lysimachiam ab Antiochi maioribus conditam esse[4]) eiusque recuperandae causa regem bellum Romanis intulisse [auct. de vir. ill. LIV, Flor. I, 24 p. 43, 28], belli cum Sex. Pompeio gesti solam causam fuisse, quod bona paterna Sextus repetivisset [auct. de vir. ill. LXXIX, Flor. II, 14 p. 105, 13], bellum Piraticum a Pompeio intra quadragesimum diem confectum esse [auct. de vir. ill. LXXVII, Flor. I, 40 p. 69, 3[5])], foedus cum Sex. Pompeio ictum per Antonium ruptum esse [auct. de vir. ill. LXXXIV, Flor. II, 18 p. 110, 16], Marcum Antonium bellum Perusinum excitasse [auct. de vir. ill. LXXXV, Flor. II, 106, 22[6])], Augustum dictatorem in perpetuum factum esse [auct. de vir. ill. LXXIX[7]), Flor. II, 34 p. 123, 22[8])] — omnes igitur hos errores ex communi fonte opinaris manasse nec potius e Floro, cuius libri talibus erroribus redundant, Nostrum sumpsisse? neque enim quisquam Floro tantam tribuit auctoritatem aut fidem, ut omnia, quae confusa et depravata tradit, non ipsum confudisse et depravasse, sed ex alio auctore petiisse contendat, immo satis superque constat illum po-

1) v. Jordanum Topogr. Rom. I[1] p. 201 n.

2) v. Heynum De Floro historico p. 16, Ihnium h. R. II, p. 53 n. 59.

3) Cfr. Sieglinum Die Chronologie der Belagerung von Sagunt, Leipzig 1878 p. 38 n. 82. [quae de sex mensibus S. ibi exponit, mihi quidem non probantur v. Weissenbornum ad Livium XXI, 15, 6].

4) Dubitari nequit, quin hic Flori error inde profectus sit, quod Livii [XXXIII, 40, 4] verba male intellexit.

5) Cfr. Cic. de imp. Cn. Pomp. XII, 35, Liv. epit. XCIX.

6) v. Heynum l. l. p. 23. in eodem errore scholiasta Lucani [ed. Weber p. 12] versatur.

7) Hunc errorem ad Nepotem minime referri posse, ut Hauptius opinatur, ex ipsis Nepotis verbis Attic. XIX, 2 apparet, ubi Augustum imperatorem nominat.

8) De Mommseni coniectura [„dictus imperator perpetuus“ in Halmii edit. p. XIX] v. Spengelium l. l. p. 349 et Heynum l. l. p. 5.

puli Romani laudatorem et praeconem, qui, ut C. Barthii [Adverss. LX, 7] utar verbis, non tam historiam quandam aut compendium gestorum, quam victoriarum paeanem desaltavit, consilio contra omnem historiae fidem res corrupisse. accedit quod nonnulli errores a solo Nostro commissi procul dubio inde fluxerunt, quod temere et imprudenter Flori vestigiis insistit. nam Menenii, Coriolani, Licinii Stolonis, L Virginii vitas auctor de vir. ill. [capp. XVIII—XXI] perverso temporis ordine conexas proponit, Florum certe secutus[1]), qui in capite XVII libri prioris [p. 26 sqq.] illos viros coniunctos affert isque suo iure, quoniam semper neglecta temporis ratione res per genera digestas persequitur atque illo capite omnes seditiones comprehendit. itemque quae in vita Augusti [c. LXXIX] a Nostro enarrantur, temporis ordini minime respondent, cum Octavianum Jani portas clausisse atque Augustum appellatum esse post bellum Parthicum exponatur, eundem autem rerum ordinem apud Florum II, 34 p. 123 invenimus, qui tamen more suo, ut poetico quodam afflatu libri sui finem faceret, ipsam Augusti „consecrationem" rebus ab eo gestis postposuit. quid quod non paucis locis Noster cum Floro etiam talibus verbis[2]) concinit, qualia in tumidum atque inflatum Flori „saepiús poetice quam humane loquentis"[3]) sermonem tam plane quadrant, ut non ex communi fonte fluxisse, sed ex Floro ipso exscripta esse mihi persuasum habeam.

Sed video huic argumentationi obici posse Ampelii cum Floro consensum. nam dixerit aliquis persaepe et Nostrum et Ampelium ad verbum fere cum Floro consentire neque ullam habere veri speciem utrumque relicto communi illo auctore eisdem locis ad Florum deflexisse. audio, sed priusquam hac de re iudicemus, illos, de quibus agitur, locos colligamus oportet. sunt autem hi:

---

1) v. Spengelium l. l. et Eussnerum Philolog. t. XXXIV p. 177.

2) Ex. gr. auct. de vir. ill. XXIV, 4: Manlius clangore anseris excitatus . . , Flor. I, 7 p. 18: [Manlius] clangore anseris excitatus . . . auct. de vir. ill. XLVIII: actumque de Romano imperio erat, si iungere se Hannibali potuisset, Flor. I, 22 p. 40: actum erat procul dubio, si vir ille se cum fratre iunxisset. auct. de vir. ill. LXXVI: Mithridates . . . oriundus a septem Persis Flor. I, 39 p. 63: Artabazes a septem Persis oriundus, inde Mithridates.

3) v. Petr. Burmannum ad Petronium c. CXXIII.

Amp. XVIII, 12	Flor. I, 22 p. 40, 24	auct. de vir. ill. XLVIII
[Hasdrubal] si se cum Hannibale iunxisset dubitari non potest parem eis populum Romanum futurum non fuisse.	— actum erat procul dubio si vir ille [Hasdrubal] se cum fratre iunxisset.	actumque de populo Romano erat si iungere se Hannibali potuisset.
Amp. XVIII, 6	Flor. I, 22 p. 38, 10	auct. de vir ill. XLIII
Hannibalem mora fregit.	— sic maceravit Hannibalem ut qui frangi virtute non poterat mora comminueretur.	Hannibalem mora fregit.
Amp. XVIII, 19	Flor. I, 40 p. 69, 3	auct. de vir. ill. LXXVII
[Pompeius] Cilicicas toto mari dominantis intra quadragesimum diem vicit.	victoria [de piratis] quadragesimo die parta est.	mox piratas intra quadragesimum diem subegit.
Amp. XVIII, 21	Flor. II, 34 p. 123, 22	auct. de vir. ill. LXXIX
— post cuius consecrationem perpetua Caesarum dictatura dominatur.	— Augustus dictator perpetuus.	Dictator in perpetuum factus.
Amp. XIX, 7	Flor. II, 11 p. 92, 9	auct. de vir. ill. LXXVII
Lutatius Catulus, qui Lepidum acta Sullae rescindere volentem fugavit.	— Lepidus acta tanti viri rescindere parabat.	Lepidum acta Sullae rescindere volentem privatus Italia fugavit.
Amp. XXVIII, 3	Flor. I, 13 p. 23, 10	auct. de vir. ill. XXXV
Pyrrhus mox a Curio et Fabricio victus.	— melius dimicatum est Curio Fabricioque consulibus.	. . a Curio et Fabricio superatus . . .
Amp XL, 4	Flor. II, 14 p. 105, 13	auct. de vir. ill. LXXIX
— bellum contra Pompeium iuvenem bona paterna repetentem..	. . Sextus paterna repetit.	Sex. Pompeium bona paterna repetentem.

Videmus igitur auctores non solum ad verbum consentire, verum etiam eisdem erroribus labi, ut Pompeium piratas intra quadragesimum diem subegisse, Augustum dictatorem perpetuum dictum esse, Pyrrhum a Curio et Fabricio victum esse, belli cum Sex. Pompeio gesti solam causam fuisse quod Sextus bona paterna

repetivisset. hanc autem tantam consensionem tantamque conspirationem fortuitam esse nemo putabit. at et Noster et Ampelius Flori epitomen expilaverunt! at si Ampelius suopte Marte Florum adhibuisset, qui fieri potuit, ut ipsa ea Floriana, quae Noster, atque ipsis eis locis, ubi Noster, communi illi auctori adiceret? at ex eodem fonte et Florus et Noster et Ampelius sua derivant! et in hac quidem quaestione arma deponerem, nisi certis argumentis supra demonstrasse mihi viderer permulta illa Flori vestigia, quae apud auctorem de viris ill. exstant, non ad communem fontem, sed ad Florum ipsum referenda esse. quae cum ita sint, nulla alia nobis relicta est via, nisi ut neque Nostrum neque Ampelium, immo ipsum illum auctorem, cui sua uterque deberet, Floro usum esse statuamus. permagna autem laude et auctoritate eum floruisse atque ab omnibus fere posterioribus scriptoribus saepissime in partem vocatum esse satis superque constat[1]. quare nulla mihi videtur carere probabilitate fuisse aliquem[2], qui Flori splendore atque admiratione occaecatus Hygini de vir. ill. libros ita retractaret, ut eos vel permultis rebus ex Floro ascitis amplificaret vel flosculis Florianis distingueret atque illustraret. cui coniecturae hoc quidem minime obstat, quod incerti illius auctoris liber iam non exstat, cum non pauca talia opera[3], unde libri, qui nobis suppeditant, fluxisse putandi sunt, prorsus intercidisse nemo ignoret. Hieronymum autem in enumerandis de vir. ill. libris hunc reticuisse conicio, quia Hyginiani operis originem et similitudinem tam aperte prae se ferret, ut ipsius Hygini liber videretur esse.

Itaque, ut redeat, unde deflexit, oratio, non ipsum Hyginum Noster adhibuit, sed auctoris opus, qui illos Hygini de vir. ill. libros Flori epitome passim usus retractavit, atque inde Ampelius quoque ea desumpsit, quae de Romanorum regibus ducibus, viris fortibus hostibus relata apud eum legimus.

---

1) Cfr. Jahnum in praef. p. XLVIII sqq.

2) Cum Ampelius imperatore Antonio Pio librum memorialem composuerit, Florus autem Hadriani temporibus floruerit [v. Jahnum in praef. XL], auctor, quem substituimus, Flori aequalis fuerit necesse est.

3) v. Niebuhrium Schol. ed. Isler. I, p. 58, Mommsenum, Die Quellen des Hieronymus p. 684, Die Chronik des Cassiodorus Senator p. 552, in praefatione edit. Solin. praefixa p. XXV cet.

Caput VI.

Quibus rebus expositis restat, ut quae alii scriptores vel Hygino vel eidem, cui Noster, auctori debeant, e comparatione cum libro de vir. ill. scripto et Ampelii libro memoriali colligamus.

De elogiis.

Perpauca, quae ad hanc aetatem permanserunt, elogia cum libro nostro conferenti tanta et verborum et rerum mihi occurrebat consensio tantaque totius compositionis similitudo, quantam non casu factam, sed ad certam rationem referendam esse mihi persuasi. quod ne temere a me dictum putes, hos subicio locos.

Elogium Romuli C. J. L. I, p. 283 Orelli I, n. 534 II, n. 5053	auct. de vir. ill. II
— isque primus dux duce hostium Acrone rege Caeninensium interfecto spolia opima Jovi Feretrio consecravit ... receptusque in deorum numerum Quirini nomine appellatus est.	— ac ducem Acronem singulari certamine devicit. spolia opima Jovi Feretrio in Capitolio consecravit . . . ipse pro deo cultus et Quirinus est appellatus.
Elog. Appii Caeci C. J. L. I, p. 287 Orelli I, n. 539	auct. de vir. ill. XXXIV
Complura oppida de Samnitibus cepit, Sabinorum et Tuscorum exercitum fudit.	Sabinos, Samnitas, Etruscos bello domuit.

De Sabinis tacent ceteri omnes auctores.

Ibid.	Ibid.
Viam Appiam stravit et aquam in urbem adduxit.	Viam [usque Brundusium] lapidibus stravit, aquam ... in urbem induxit.
Elog. Q. Fabii Maximi C. J. L. I, p. 288 Orelli I, n. 541	auct. de vir. ill. XLIII
— primo consulatu Ligures subegit de eis triumphavit — Minucio	Consul de Liguribus triumphavit... Minucium magistrum equi-

cuius populus imperium cum dictatoris aequaverat et exercitui profligato subvenit.

tum imperio sibi aequari passus est, nihilominus periclitanti subvenit.

Elog. L. Aemilii Pauli C. J. L. I, p. 289
Orelli I, n. 542

auct. de vir. ill. LVI

— Liguribus domitis priore consulatu triumphavit. iterum consul —

..primo consulatu, quem post tres repulsas adeptus erat, de Liguribus triumphavit. iterum consul —

Ceteri omnes auctores, quantum scio, proconsulem non consulem eum tradunt triumphavisse.

Ibid.

regemque cum filio cepit.

Ibid.

regem .. cepit.

Elog. C. Marii C. J. L. I, p. 290
Orelli, I n. 543

auct. de vir. ill. LXVII

C. Marius septies consul .. Praetor, Tr. pl., Quaestor, Augur Tribunus militum.

C. Marius septies consul .. primis honoribus per ordinem functus.

De Marii quaestura praeter Nostrum et elogium solus Valerius Maximus VI, 9, 14 p. 528[1]) mentionem facit.

Ibid.

— eum [Jugurtham] cepit et triumphans ante currum suum duci iussit.

Ibid.

Jugurtham captum ante currum egit.

Elog. L. Luculli C. J. L. I, p. 291
Orelli I, n. 545

auct. de vir. ill. LXXIV

Collegam suum pulsum — cum se is Chalcedona contulisset, obsidione liberavit.

— collegam suum Cottam Chalcedone obsessum liberavit.

Elog. Scipionis Aemiliani apud Plinium h. n XXII, 6, 13

auct. de vir. ill. LVIII

Aemilianum quoque Scipionem Varro auctor est donatum obsi-

Tribunus in Africa [Scipio Aemilianus] sub M.' Manilio im

1) Hunc locum Mommsenus C. J. L. I, p. 291 omisit.

dionali (corona) in Africa Manilio consule III cohortibus servatis totidemque ad servandas eas eductis, quod et statuae eius in foro suo divus Augustus subscripsit.

peratore cohortes VIII[1]) consilio et virtute servavit a quibus corona obsidionali [aurea] donatus.

Itaque in omnibus fere elogiis permulta esse invenimus, quae vel eisdem, quibus a Nostro, verbis narrantur vel apud alium auctorem frustra quaeruntur. ad quem et rerum et verborum consensum quanta accedat totius compositionis tractationisque similitudo si singula elogia cum auctore de vir. ill. comparaveris, videbis. ac tota res iam profligata esse poterat videri, nisi gravissimis illis, de quibus supra diximus, virorum doctissimorum argumentis refutatum esset Nostrum ex elogiis sua derivare. an putat quisquam adeo eum librum suum conglutinasse, ut praeter elogia alium quendam auctorem adhiberet, unde et res a viris, quorum statuae in foro deerant, gestas et omnia illa, quae in elogiis desiderantur, inveniuntur in nostro libro, desumeret? ad quam coniecturam refutandam satis haberem Ampelium afferre, qui, si illa vera esset, ipse quoque elogiis pro primario fonte usus esse atque omnia, quae ibi vel non exstiterunt vel exstare non potuerunt, ex eodem scriptore eisdem locis ac Noster admiscuisse putandus esset. at auctor ille, quem Noster et Ampelius sequuntur, elogia hoc modo retractavit et auxit! haec quoque coniectura, si Q. Fabii vita ab auctore de vir. ill. descripta cum Q. Fabii elogio contuleris, corruet. leguntur enim haec:

Elog. Q. Fabii C. J. L. I, p. 283 Orelli I, n. 541	auct. de vir. ill. XLIII
Q. Fabius Q. F. Maximus Dictator II, Cos. V, Cens. Interrex II, Aed. cur., Qu. II, Tr. mil. II, Pontifex, Aug. Primo consulatu Ligures subegit ex eis triumphavit. Tertio et quarto Hannibalem compluribus victoriis ferocem subsequendo coercuit. dictator mag. equitum Minucio, cuius populus	Q. Fabius Maximus Cunctator ut Verrucosus a verruca in labris ita Ovicula a clementia morum consul de Liguribus triumphavit. Hannibalem mora fregit. Minucium magistrum equitum imperio sibi aequari passus est, nihilominus periclitanti subvenit, Hannibalem in agro Falerno in-

1) Numerorum discrepantia nullius momenti est, quoniam quantum in numeris potissimum librarii peccaverint, notum est.

imperium cum dictatoris imperio aequaverat et exercitui profligato subvenit et eo nomine ab exercitu Minuciano pater appellatus est. Consul V Tarentum cepit, triumphavit. dux aetatis suae cautissimus et rei militaris peritissimus habitus est. princeps in senatum duobus lustris lectus est.

clusit. Marium Statilium transfugere ad hostes volentem equo et armis donatis retinuit et Lucano cuidam fortissimo ob amorem mulieris infrequenti eandem emptam dono dedit. Tarentum ab hostibus recepit, Herculis signum inde translatum in Capitolio dedicavit. de redemptione captivorum cum hostibus pepigit, quod pactum cum a senatu improbaretur fundum suum ducentis millibus vendidit et fidei satisfecit.

Auctores igitur cum ad verbum fere concinere tum per totam vitam simillimos procedere non est quod ostendam. verum cum nonnulla a Nostro enarrentur, quae in elogio non leguntur, ad id solum referri non potest. at tamen ea, quae auctor de vir. ill. elogio addit, non aliunde petita esse, sed in ipso illo fonte, unde tota fluxisset vita, locum habuisse e Plutarcho apparet, qui in vita Q. Fabii describenda prorsus eodem ac Noster ordine res exponat[1]) atque omnia illa, ut ita dicam, ad elogium additamenta non modo tradat, verum etiam eodem, quo illo, loco tradat. quare ne speciem quidem verisimilitudinis mihi videtur habere incertum illum auctorem ex elogio pendere, sed ex aliquo fonte sua sumpsit, ubi omnia, quae narrat, invenit. itaque plane cum viris illis doctissimis consentio atque in universum nego Nostrum elogiis quicquam debere, immo illius tam miri consensus causam esse puto, quod is, qui elogia composuit, iuxta alios uberiores fontes eundem quem auctor de vir. ill. adhibuit. et quoniam nostrum librum ad Hyginum referendum esse, ni fallor, supra ostendi, illam de elogiis coniecturam capere eo minus dubito, quia per se verisimillimum mihi videtur esse auctorem horum elogiorum[2]) statuis subscriptorum, modo omissis nonnullis, quae titulo honorario non satis apte convenirent, modo additis, quae huic proposito magis responderent, eos potissimum de viris illustribus libros adhibuisse, qui paucis annis ante foras dati sunt.

1) v. Soltavum de fontibus Plutarchi cet. p. 70.
2) De quo v. Mommsenum C. I. L. I, p. 282.

De Valerio Maximo.

In numero illustrium illorum auctorum, e quibus Valerius Maximus „urbis Romae exterarumque gentium facta simul ac dicta memoratu digna“ congesserit, Hyginum esse Kempfius [in praef. ad Val. Max. p. 21] rectissime statuit haec autem mihi videntur ex eo fluxisse exempla:

Val. Max. I, 2, 2 p. 123 ed. Kempf.	auct. de vir. ill. XLIX
. . . quam in cella Jovis diutissime moraretur.	. . quam in cella Jovis diutissime sedisset.
Val. Max. I, 4, 2 p. 128, 20	auct. de vir. ill. LXIV, 8
Val. Max. I, 7, 3 p. 149	auct. de vir. ill. XXVI
. . . convenitque inter eos, cuius cornu prius laborare coepisset ut is . .	. . cum convenisset, ut cuius cornu in acie laboraret . .
Val. Max. III, 2, 1 p. 245	auct. de vir. ill, XI, 1
Val. Max. III, 2, 2 p. 246	auct. de vir. ill. XIII
. . nocturno tempore custodiam egressa equum conscendit celerique traiectu fluminis . .	. . deceptis custodibus noctu castris eius egressa equum, quem fors dederat, arripuit et Tiberim traiecit.
Val. Max. III, 2, 4 p. 246	auct. de vir. ill. XXV[1])
Cornelius Cossus eidem deo spolia consecravit, cum magister equitum ducem Fidenatium in acie congressus interemisset.	. . Quinctius Cincinnatus . . . magistrum equitum habuit, Cornelium Cossum, qui Lartem Tolumnium ducem sua manu interfecit. de eo spolia opima Jovi Feretrio . . . consecravit.
Val. Max. III, 2, 18 p. 255	auct. de vir. ill. LXXII, 10
Val. Max. III, 7, 1 p. 288	auct. de vir. ill. XLIX
. . hoc ego die, inquit, Quirites Carthaginem . . . leges nostras accipere iussi. proinde aequum est vos mecum ire in Capitolium supplicatum.	hac die, inquit, Carthaginienses vici, quare bonum factum in Capitolium eamus supplicatum.

1) v Mommsenum Herm. XIII, p. 306 s. f. = Quaest. Rom. II, p. 237.

Val. Max. III, 8, 6 p. 302 Val. Max. IV, 1, 7 p. 314 M. Marcellus, qui primus .. Hannibalem vinci ... docuit.	auct. de vir. ill. LXXIII, 4 auct. de vir. ill. XLV, 3 apud Nolam Hannibalem primus locorum angustia adiutus vinci docuit.
Val. Max. IV, 1, 13 p. 321 Val. Max. IV, 3, 4 p. 334 [Coriolanus] nihil praeter unius hospitis captivi salutem equumque, quo in acie uteretur, accipere voluit.	auct. de vir. ill. LXVIII auct. de vir. ill. XIX [Cariolanus] equum tantum et hospitem sumpsit.
Val. Max. V, 4, 3 p. 422 Val. Max. VI, 2, 3 p. 472, 5 Val. Max. VII, 2, ext. 17 p. 549 [Herennius] consultus quidnam fieri placeret deleri eos oportere dixit ut aut maximo beneficio gratia hostium emeretur aut gravissima iactura vires confringerentur.	auct. de vir. ill. XXVIII auct. de vir. ill. LVIII auct. de vir. ill. XXX Pontius accitum Herennium rogavit, quid fieri placeret. ille ait, aut omnes occidendos ut vires frangerentur aut omnes dimittendos ut beneficio obligarentur.
Val. Max. VII, 4, 5 p. 569 Val. Max. IX, 2, ext. 1 p. 685 Carthaginienses Atilium Regulum ... vigilantia pariter et continuo tractu doloris necaverunt.	auct. de vir. ill. LXI auct. de vir. ill. XL, 4 [Atilius] vigiliis ac dolore punitus est.
Val. Max IX, 4, 3 p. 698 Val. Max. IX, 5, 2 p. 699 Parvi habuit [M. Drusus] L. Philippum consulem quia interfari se contionantem ausus fuerat, obtorta gula ... adeo violenter in carcerem praecipitem egisse, ut multus e naribus eius cruor profunderetur.	auct. de vir. ill. LXV, 6 auct. de vir. ill. LXVI, 9 Philippo[1]) consuli legibus agrariis resistenti ita collum in comitio obtorsit, ut multus sanguis efflueret e naribus.

1) Ita scribit cod. B.

Val. Max. IX, 11, 1 p. 714	auct. de vir. ill. VII, 19
Cum carpento veheretur et is qui iumenta agebat succusis frenis constitisset, repentinae morae causam requisivit et ut comperit corpus patris Servii Tullii occisi ibi iacere, supra id duci vehiculum iussit ... ipsum vicum cognomine sceleris commaculavit.	Cum domum rediret viso patris corpore mulionem evitantem super ipsum corpus carpentum agere praecepit. unde vicus ille sceleratus dictus.
Val. Max. II, 9, 4 p. 229	Amp. XVIII, 9
Narravit omnis aetas ... a Fabricio Luscino Cornelium Rufinum duobus consulatibus functum quod decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum in ordine senatorio retentum non esse.	Fabricius Luscinius, qui Cornelium Rufinum consularem amovit, luxuriae et avaritiae damnatum, quod decem pondo argenti possideret.

Kempfius in editione p. 247, quocum U. Koehler [qua ratione T. Livii annalibus cet. p. 41] consentit, nostrum auctorem ipso Valerio Maximo usum esse inde conicit, quod (c. XXV) sicut Valerius [III, 2,4] Lartem Tolumnium faciat ducem Fidenatium, qui revera dux Veientium fuerit. audio, sed Valerius neque Lartis Tolumnii nomen neque cuius dictatoris magister equitum Cossus fuerit tradit utrumque autem apud auctorem de vir. ill. invenitur. et quoniam fere omnibus aliis locis, ubi consentiunt, Noster nonnulla scribit, quae apud Valerium desunt, in universum mihi videtur esse infitiandum Nostrum quicquam e Valerio derivare [v. Koehlerum l. l.].

M. Kranzius [Beiträge zur Quellenkritik des Valerius Maximus, Posen 1876 p. 23] Mommseni de libri nostri fontibus coniecturam amplexus illius inter Valerium et auctorem de vir. ill. consensus causam inde repetit, quod uterque Valerii Antiatis premat vestigia. at tamen neque omnia, quae a Nostro traduntur, ex Antiate fluxisse Mommsenus censet, neque Valerium Maximum alia ex aliquo de vir. ill. libro sumpsisse Kranzius ipse negat, quare, quamvis hoc aliudve fortasse ad annalium scriptorem referendum esse concedam, quem et Valerius et Hyginus sequuntur,

tamen longe pleraque Valerium, sicut Nostrum, Hygino debere existimo.

De Frontino.

Frontinum quoque in tribus strategematicon libris et Pseudo-Frontinum illum, qui quartum librum composuit, Hygini de vir. ill. libros vel exempla adhibuisse ex hac collocatione videbis:

Frontin. I, 1, 1 p. 3 ed. Deder.	auct. de vir. ill. XLVII
Cato devictas ab se Hispaniae civitates existimabat in tempore rebellaturas fiducia murorum. scripsit itaque singulis ut diruerent munimenta .. unaquaeque urbium sibi soli credidit imperatum.	[Cato] consul Celtiberos domuit et ne rebellare possent litteras ad singulas civitates misit ut muros diruerent. cum unaquaeque sibi soli imperari putaret, fecerunt.
Frontin. I, 1, 12 p. 6	auct. de vir. ill. LXI
Metellus Pius in Hispania interrogatus, quid postera die facturus esset, tunicam meam, si id eloqui posset, inquit, comburerem.	Metellus [Macedonicus] .. amico cuidam, quid acturus esset, roganti, tunicam inquit meam exurerem, si eam consilium meum scire existimarem.
Frontin. II, 3, 24 p. 37	auct. de vir. ill. XXXVIII
C. Duilius cum videret graves suas naves mobilitate Punicae classis eludi.. excogitavit manus ferreas, quae ubi apprehenderunt hostilem navem ...	C. Duilius ... cum videret eos [Carthaginienses] multum mari posse classem fabricavit et manus ferreas cum irrisu hostium primus instituit, quibus inter pugnandum hostium navem apprehendit.
Pseudo-Frontin. IV, 1, 13 p. 80	auct. de vir. ill. LXXII
M. Scaurus filium, quod in saltu Tridentino hostibus cesserat, in conspectum suum venire vetuit.[1]) adulescens verecundia ignominiae pressus mortem sibi conscivit.	[Scaurus] filium suum quia praesidium deseruerat in conspectum suum vetuit accedere. ille ob hoc dedecus mortem sibi conscivit.

1) v. Woelfflinum Herm. IX, p. 82 n.

Pseudo-Frontin. IV, 1, 23 p. 81	Amp. XVIII, 14
Pseudo-Frontin. IV, 1, 40 p. 83	auct. de vir. ill. XXVIII, 4
Manlius ... filium, quod is contra edictum patris cum hoste pugnaverat... securi percussit.	Consul [Manlius] bello Latino filium quod contra imperium pugnasset securi percussit.
Pseudo-Frontin. IV, 3, 12 p. 86	auct. de vir. ill. XXXIII, 6
Pseudo-Frontin. IV, 3, 15 p. 86	auct. de vir. ill. LX
L. Mummius, qui Corintho capta non Italiam solum sed etiam provincias tabulis statuisque exornavit adeo nihil ex tantis manubiis in suum convertit ut filiam eius inopem senatus ex publico dotaverit.	Mummius Corinthum signis tabulisque spoliavit. quibus cum totam replesset Italiam in domum suam nihil convertit.
Pseudo-Frontin. IV, 4, 1 p. 87	auct. de vir. ill. XXIII
Camillo Faliscos obsidenti ludi magister liberos Faliscorum tanquam ambulandi causa extra murum eductos tradidit... Camillus ... restrictis post terga manibus magistrum virgis agendum ad parentes tradidit pueris... Falisci ob hanc iustitiam sponte se ei dediderunt.	Furius Camillus cum Faliscos obsideret ac ludi litterarii magister principum filios ad eum adduxisset, vinctum eum eisdem pueris in urbem redigendum et verberandum tradidit Statim Falisci se ei ob tantam iustitiam dediderunt.
Pseudo-Frontin. IV, 7, 36 p. 96	auct. de vir. ill. XLIII
Q. Maximus transfugere ad hostes volentem Statilium... donato ei equo pecuniam insuper largitus obtinuit, ut...	[Q. Maximus] Marium Statilium transfugere ad hostes volentem equo et armis retinuit...

Ac ne quis forte credat Nostrum ex Frontinis ipsis sua petiisse, satis habeo haec duo afferre exempla. ecce illud taciturnitatis exemplum Frontinus [I, 1, 12 p. 6, cfr. p. IV] de Metello Pio narrat, de Metello Numidico Noster [c. LXI], quocum Valerius Maximus VII, 4, 5 p. 569[1]) et Plutarchus[2]) [Apophtegm.

1) Nam Metellus Numidicus bellum contra Celtiberos gessit v. Liv. epit. LIII, Flor. 1, 33 p. 53, Val. Max. II, 7, 10 p. 210, III, 2, 21 p. 287, V, 1, 5 p. 384.

2) Quae de Scipione ibi (§ 3) exhibentur, in solum Numidicum cadunt

Caecilii Metelli 2 p. 244 ed. Duebn.] consentiunt[1]). deinde militem illum, quem equo et armis Q. Fabius donavit, Pseudo-Frontinus [IV, 7, 36[2]) p. 96] Statilium, Noster Marium Statilium nominat, Marium autem Statilium ipsis eis temporibus apud Romanos stipendia meruisse Livius [XXII, 42, 4] testatur. denique Pseudo-Frontinum ex Nostro sua minime hausisse, si IV, 3, 15 p. 86 quae narrantur, cum auctore de vir. ill. LX et Plinio h. n. XXXIV, 7, 36 contuleris, assentieris.

De scholiis.

His igitur rebus expositis quin elogiorum auctor, Valerius Maximus, Frontinus, Pseudo-Frontinus Hygini libros permultum adhibuerint, mihi quidem dubium non est. quid tamen de auctoribus scholiorum et Bobiensium, quae dicuntur, et in Juvenalem scriptorum, de Servio illo carminum Vergilianorum commentatore, denique de Scholiasta Gronoviano iudicandum sit, utrum Hygino ipsi[3]) an eidem, cui Noster et Ampelius, sua debeant auctori, in medio mihi videtur esse relinquendum.

His autem locis cum auctore de vir. ill. mirum in modum concinunt:

Scholia Bobiensia p. 283 Or.	auct. de vir. ill. LVIII
P. Scipio Aemilianus... repentina morte domi suae interceptus	[P. Scipio Aemilianus] domi repente exanimis inventus est ob-

cfr. Cic. Lael. XXI, 77, de rep. I, 19, 31, Val. Max. IV, 1, 12 p. 320, Plinium h. n. VII, 44, 144.

1) v. Wendium De Caeciliis Metellis, Bonnae 1875 p. 52.

2) Wachsmuthius [musei Rhen. t. XV, 1860 p. 579] haec e Valerio Maximo [VII, 3, 7 p. 556] Pseudo-Frontinum expilasse censet. at apud illum deest militis nomen, apud hunc Statilius vocatur. itemque alterum Pseudo-Frontini locum [IV, 1, 23] Wachsmuthius falso ad Valerium [II, 7, 10 p. 215] mihi videtur referre, multo enim propius ad Ampelium XVIII, 14 accedit ideoque ex Hygino pendere putandus est.

3) Quin etiam diutissime haesitavi, num scholiorum Bobiensium auctorem hoc loco afferre mihi liceret. etenim cum constet [v. Orellium in edit. scholiorum p. 312, Woelfflinum in Bursians Jahresbericht III (1874—1875) p. 789] eum alia e Nepote expilasse, fieri potest, ut hic cum auctore de vir. ill. consensus inde profectus sit, quod et auctor scholiorum et Hyginus Nepotis vestigia premunt.

est . . in eiusque faucibus livor inventus est.

voluto capite ne livor in ore appareret.

Schol. Bobiens. p. 299 Or.

De C. Mucio Cordo non ignobilis historia qui solus adolescens vigore animi strenuissimus cum Porsennam Etruscorum vellet occidere deceptus similitudine habitus purpuratum eius occidit comprehensusque...

auct. de vir. ill. XII

Mucius Cordus vir Romanae constantiae .. in castra Porsennae venit, ibique purpuratum pro rege deceptus occidit apprehensus...

Apud Livium eiusque asseclas ei nomen est Mucio Scaevolae, Mucium Cordum praeter Nostrum [cfr. Ampel. XX, 3] et Scholiastam Dionysius [V, 25 p. 142] et Zonaras [VII, 12 p. 122] eum vocant.[1])

Schol. Bobiens. p. 364.

auct. de vir. ill. XXXIII

Scholia in Juvenalem p. 305 ed. Jahn.

Horatius Cocles cum fessos milites suos ab Etruscis videret pontem sublicium subduci iussit, ne protinus hostes ad urbem irent et ipse solus interim exercitum Porsennae sustinuit dehinc armatus Tiberim transnatavit ad suos.

auct. de vir. ill. XI

Porsenna rex Etruscorum cum .. primo impetu Janiculum cepisset Horatius Cocles ... pro ponte sublicio stetit et aciem hostium solus sustinuit donec pons a tergo interrumperetur, cum quo in Tiberim decidit et armatus ad suos tranavit.

Schol. in Juven. p. 305

Schol. in Juven. p. 314

Schol. in Juven. p. 324

[Hannibal] in Africa victus ab Scipione et postea pulsus a civi-

auct. de vir. ill. XIII

Amp. XVIII, 9

auct. de vir. ill. XLII

[Hannibal] a Scipione superatus ad Antiochum regem Syriae con-

1) Quare Hauptius [p. 49] plane errat, qui praeter Nostrum solos Ampelium et Dionysium hoc cognomen tradere opinetur. deinde et Jordanus [Hermae VI, p. 201] et Hauptius l. l. errant, qui solum auctorem de vir. ill. Menenio Agrippae indere cognomen Lanato scribant; nam idem cognomen apud Dionysium [V, 44 p. 164 Kiessl.], in fastis triumphalibus [C. J. L. I p. 454], denique apud illum, quem dicunt, chronographum a. 354 [v. Mommsenum Der Chronograph v. J. 354 p. 611 = C. J. L. I, p. 486] invenitur.

bus fugit ad Antiochum Syriae regem, quem impulsum ad bellum Romanis inferendum, victus cum regia classe deseruit. inde descendit ad Prusiam Bithyniae regem, quo cognito Romani legatum mittunt ad Prusiam Quintum Flaminium[1]) ut sibi daretur perducendus ad urbem Romam. quod ne fieret, Hannibal hausto veneno quod sub anuli gemma omni tempore habuerat, praevenit.

fugit eumque hostem Romanis fecit. quo victo ad Prusiam Bithyniae regem concessit unde Romana legatione repetitus [auct. de vir. ill. LI: Quintus Flaminius legatus etiam ad Prusiam ut Hannibalem repeteret missus] hausto, quod sub anuli gemma habebat, veneno absumptus est, positus ad Libyssam in arca lapidea in qua hodieque inscriptum est: Hannibal hic situs est.

Schol. in Juven. p. 331

Virginiam Appius decemvir adamatam clienti, quem ob hoc subornaverat, in servitutem addixerat. propter quod eam pater Virginius interemit, decemviris imperium abrogatum. Appius in carcere necatus est[2]).

auct. de vir. ill. XXI

.. Appius Claudius Virginiam .. adamavit. quam cum corrumpere non posset, clientem subornavit, qui eam in servitutem deposceret. Pater cum filiam iam addictam videret ... occidit .. milites ... decemviros abdicare se magistratu praeceperunt .. Appius Claudius in carcere necatus est.

Servius ad Aen. I, 272 p. 54 ed. Lion. (VI, 778 p. 403).

Amulius et Numitor fratres fuerunt filii Procae. Amulius autem fratrem imperio pepulit ... filiam vero Iliam Vestae sacerdotem fecit ut spem sobolis auferret. haec ... a Marte compressa est unde nati sunt Remus et Romulus, quos ... praecipitari iussit in Tiberim ... pueri

auct. de vir. ill. I

Proca rex Albanorum Amulium et Numitorem[3]) filios habuit, quibus regnum annuis vicibus habendum reliquit .... sed Amulius fratri imperium non dedit et ut eum sobole privaret, Ream Silviam filiam eius Vestae sacerdotem praefecit ut virginitate perpetua teneretur, quae a Marte com-

1) Uterque Q. Flaminium pro T. Quinctio Flaminino ponit. auctorem autem scholiorum e Nostro sua minime deprompsisse inde apparet, quod hic de Hannibalis exilio tacet, ille verba facit.

2) Schwegler h. R. III, p. 89 n. 2 hunc scholiorum locum omisit.

3) Mutato ordine Procae filii ab utroque afferuntur.

vero expositi ad vicinam ripam delati sunt, ad quos vagientes lupa de vicinis montibus venit et ubera praestitit. sed cum Faustulus pastor eius loci eos animadvertisset ... ad Accam Larentiam uxorem ... pueros detulit, quae susceptos aluit. hi postea avum suum Numitorem occiso Amulio in regna revocarunt...

pressa Remum et Romulum[1]) edidit. Amulius ... parvulos in Tiberim abiecit, quos aqua in sicco reliquit. ad vagitum lupa accurrit eosque uberibus suis aluit. mox Faustulus pastor collectos Accae Larentiae coniugi educandos dedit. qui postea Amulio interfecto Numitori avo regnum restituerunt....

Serv. ad. Aen. VI, 840 p. 407

[Pyrrhus] cum Argos obsideret, ictu tegulae periit.

auct. de vir. ill. XXXV, 10

[Pyrrhus] dum Argos oppugnaret, ictu tegulae prostratus est.

Serv. ad Aen VIII, 646 p. 497

Sed cum non susciperetur Tarquinius, contulit se ad Porsennam regem Tusciae, qui pro Tarquinio cum ingentibus copiis capto Janiculo et illic castris positis Romam vehementer obsedit. Et cum per sublicium pontem ... transire conaretur solus Cocles hostilem impetum sustinuit donec a tergo pons solveretur a sociis, quo soluto se cum armis praecipitavit in Tiberim et ... eius fluenta superavit.

auct. de vir. ill. XI

Porsenna rex Etruscorum quum Tarquinios in urbem restituere tentaret et primo impetu Janiculum cepisset, Horatius Cocles ... pro ponte sublicio stetit et aciem hostium solus sustinuit, donec pons a tergo interrumperetur, cum quo in Tiberim decidit et armatus ad suos transnavit.

Serv. VIII, 646 p. 497

In tantam autem obsidionis necessitatem populus venerat ut etiam obsides daret ex quibus Cloelia inventa occasione transnatavit fluvium et Romam reversa est. redditaque rursus est pacis lege eam Porsenna repetente: qui admiratus virtutem puellae dedit ei optionem ut cum qui-

auct. de vir. ill. XIII

Porsenna Cloeliam nobilem virginem inter obsides accepit, quae deceptis custodibus noctu castris eius egressa, equum quem fors dederat arripuit et Tiberim traiecit. a Porsenna per legatos repetita et reddita. cuius ille virtutem admiratus, cum quibus optasset in patriam redire

1) Ita inverso ordine scribunt codd. L., Augustanus (de quo cfr. Helmreichium Philolog. XXXIX, 1879, p. 161 sqq.), alii [v. Schroeterum ad h. l.].

bus vellet rediret. illa elegit virgines, quae iniuriae poterant esse obnoxiae . . . cui data est statua equestris, quam in sacra via hodieque[1]) conspicimus.

permisit. illa virgines puerosque elegit, quorum aetatem iniuriae obnoxiam sciebat. huic statua equestris in foro posita.

Videmus igitur auctores non paucis locis adeo consentire, ut dubium esse non possit, quin eiusdem scriptoris verba utrique supposita fuerint, id quod discrepantiis eisque non levibus, quae inter Servium et auctorem de viris illustribus exstant, minime improbatur, quoniam satis superque constat Servianas illas commentationes in scholis lectitatas etiam atque etiam retractatas esse ideoque depravatas. alterum autem auctorem ex altero sua neutiquam deprompsisse non est quod ostendam.

Scholiasta Gronovianus
p. 410 Or.

Marius latuit in Minturnensibus paludibus . . . Cinna misit ad Marium in Africa, composuit legiones solutis ergastulis et venit . . . tunc Marius moritur sua sponte.

auct. de vir. ill. LXVII

[Marius] Minturnis in palude latuit . . . mox Cinnana dominatione revocatus ruptis ergastulis exercitum fecit . . . septimo consulatu, ut quidam ferunt, voluntaria morte decessit.

Praeter Nostrum et Scholiastam[2]) solus Diodorus [XXXVII, 29, 4 p. 163] Marium sibi mortem conscivisse tradit.

De Isidoro Hispalensi.

Denique velim mihi liceat hoc loco Isidorum Hispalensem afferre, qui nonnullis Originum, quae inscribuntur, locis cum auctore de vir. ill. prorsus ad verbum concinit atque vel eundem auctorem, quem Noster et Ampelius, vel Nostrum ipsum, quod mihi praestare videtur, adhibuisse putandus est. nam ne forte credamus Hyginum ipsum et ab Isidoro et ab incerto, quem sub-

1) v. Schweglerum h. R. II, p. 56 n. 2.

2) Hauptius De auctoris de vir. ill. cet. p. 44 solum auctorem de vir. ill., Kiehnius Der römische Bundesgenossenkrieg p. 301 solum Diodorum hoc tradere opinantur.

stituimus, auctore in usum vocatum esse, mirus ille ad verbum consensus impedit, Nostri autem verba in totius narrationis tenorem tam plane quadrant, ut ne speciem quidem veri habeat ex Isidori Originibus ea desumpta esse.

Hi autem mihi occurrebant loci:

Isid. Orig. V, 1, 3 p. 150 ed. Ott [1])	auct. de vir. ill. XXI
— cum populus seditiosos magistratus ferre non posset, decemviros legibus scribendis creavit, qui leges ex libris Solonis in Latinum sermonem translatas duodecim tabulis exposuerunt.	Populus Romanus cum seditiosos magistratus ferre non posset, decemviros legibus scribendis creavit, qui eas ex libris Solonis translatas duodecim tabulis exposuerunt.
Isid. Orig. IX, 4, 18 p. 303[2])	auct. de vir. ill. XVIII
.. plebs sibi tribunos quasi proprios iudices et defensores creavit, qui eorum libertatem tuerentur et eos adversus iniuriam nobilitatis defenderent.	— creavit tamen tribunos plebis, qui libertatem suam adversum nobilitatis superbiam defenderent.
Isid. Orig. X, 28 p. 321	auct. de vir. ill. X
Junius Brutus ex sorore Tarquinii Superbi genitus cum eundem casum timeret, in quem frater inciderat, qui ob divitias et prudentiam ab avunculo fuerat occisus, utilem temporis stultitiam simulavit. unde etiam Brutus est cognominatus.	L. Junius Brutus ex sorore Tarquinii Superbi genitus cum eandem fortunam timeret, in quam frater inciderat, qui ob divititias et prudentiam ab avunculo fuerat occisus[3]), stultitiam simulavit[4]), unde Brutus dictus.

1) v. Schweglerum H. R. III, p. 16 n. 1
2) v. Langium Ant. Rom. I, p. 513 n. 5
3) Ita scribunt codd. B. L. A., alii (v. Schroeterum et Keilium p. 111 ad h. l.)
4) Ita scribit cod. L. (v. Keilium p. 111).

Isid. Orig XV, 3, 6 p. 473

Cum raptae fuissent a Romanis Sabinae, ex quibus cum una ante alias specie nobilis' cum magna omnium admiratione raperetur, Talassioni dari eam oraculo responsum[1]) est, et quoniam hae nuptiae feliciter cesserant institutum est, ut in omnibus nuptiis thalami nomen iteretur.

auct. de vir. ill. II

.. virgines raptae sunt. ex quibus cum una pulcherrima cum magna omnium admiratione duceretur, Talassio eam duci responsum. quae nuptiae quia feliciter cesserant, institutum est, ut in[2]) omnibus nuptiis Talassii nomen iteretur.[3])

Isid. Orig. XV, 1, 55 p. 466

Romulus cum interfecto apud Albam Amulio avum Numitorem in regnum restituisset...

auct. de vir. ill. I

.. Amulio interfecto Numitori regnum restituerunt.

1) Ex hoc potissimum loco mihi videtur patere Isidorum ex auctore de vir. ill. ipso sua derivare, quoniam vocem responsi tam foede detorsit. [v. Plutarchum Quaest. Rom. XXXI p. 335.]

2) v. Keilium in edit. p. 108; „in omnibus nuptiis" habet cod. A.

3) Ita scribit cod. B.

Pars II.

De auctoritate et fide historica libri de vir. ill. scripti.

Caput I.

De auctore nostri de vir. ill. libri multum a multis viris doctis disceptatum est atque variae illae miraeque hac de re coniecturae nihil aliud ostendunt, nisi huic tam obscurae quaestioni lucem afferri non posse. verum enimvero hoc constat neque Plinio Secundo, quem omnes fere codices exhibent auctorem[1])

1) Primus, quem equidem indagare potui, Fr. Petrarca Plinium nostri libri auctorem nominat. scribit enim s. f. vitae Anci Marcii [ed. Razzolini (Collezione di opere inedite e rare) Bologna 1871 I, p. 50]: „Obiit . . . immatura morte praereptum scribat Plinius non potuisse praestare qualem promiserat regem“ [cfr. auct. de vir. ill. c. V, 5]; idem in vita Hannibalis p. 422: „Hannibal . . novem, ut ait Livius, ut Plinius, undecim etc.“ [cfr. auct. de vir. ill. XLII, 1 ubi cum codd. Brux., Vatic., aliis, de quibus v. Schroeterum ad h. l., scribendum est „undecim“]; idem rer. mem. III, 1 ed. Basil. 1581 p. 422 sqq.: „[Brutus] adolescentibus regiis iussu patris munera Delphico Apollini ferentibus ridiculi gratia ut Plinii verbis utar comes ascitus est cet. [cfr. auct. de vir. ill. X, 2]. praeterea Petrarca permultis locis nostrum auctorem nomine non citato in usum vocavit, ex. gr. cfr. Petrar. de vir. ill. p. 44 ed. Razz. cum auctoris nostri cap. IV, 10—13, de vir. ill. p. 148 cum auct. nost. c. XXIII, 7, 3, 8, de vir. ill. p. 372 et 456 cum auct nost. c. XLII, 7 cet. — itemque J. Bocatius, Petrarcae aequalis, Plinio librum nostrum vindicat [v. Hortisium Studi sulle opere latine di Giov. Boccaccio, Trieste 1879 p. 431]. scribit enim de genealogiis deorum gentilium l. VI c. LXX p. 53 ed. Ven. 1493: „Dicit Plinius de viris illustribus Procam patrem eorum (sc. Numitoris et Amulii) liquisse, ut ambo annuis vicibus regnarent cet. [cfr. auct. de vir. ill. I, 1]; ibidem l. IX c. LI p. 72: Plinius tamen ubi de viris illustribus dicit Romulum a curibus Sabinorum oppido Romanos appellasse quirites [cfr. auct. de vir. ill. II, 10]; ibidem l. XII c. LXXVIII p. 94: „[Tullium] Plinius in libro virorum illustrium filium dicit fuisse Publii Corniculani et Ocreatiae captivae“ [cfr. auct. de vir. ill. VII, 1]. deinde in libris, quos de claris mulieribus Bocatius scripsit, non pauca auctoris nostri vestigia exstant, quae enumerare longum est. — Nostra aetate Ulricius [Charakteristik der antiken Historiographie p. 156 n. 4] Plinio librum nostrum attribuit.

neque Aurelio Victori librum nostrum tribuendum esse. neque enim abruptum et siccum Nostri dicendi genus convenit cum „pingui et florido, in quo Plinius Secundus luxuriatur“ [v. Macrob. V, 1, 7 p. 245 ed. Eyss.] et, si de viris illustribus Plinius scripsisset, certe vel ipse,[1]) qua est loquacitate, vel posteriores nobis tradidissent.

Itemque cum eis[2]) plane consentio, qui librum nostrum ab Aurelio Victore abiudicant nam huius quoque dictio, quae Sallustianum vigorem atque ardorem imitatur,[3]) prorsus abhorret ab illo dicendi genere, quod per librum nostrum regnat. deinde si ab eodem Victore et „viri illustres“ et „Caesares“ compositi fuissent, qui fieri potuit, ut Augusti vita non modo in Caesaribus, verum etiam in nostro libro locum inveniret atque apud Nostrum earum quoque rerum mentio fieret, quae in Caesaribus enarrantur? accedit quod in hac vita describenda auctor noster Victori prorsus repugnat, id quod Hauptius ex hac locorum collatione suo iure concludit:

Aurelius Victor de Caesar. I, 7	auct. de vir. ill. LXXIX
. . felix adeo . . ut Indi, Scythae, Garamantes ac Bactri legatos mitterent.	Indi, Scythae, Sarmatae, Daci, quos non domuerat, dona miserunt.

Denique tota quaestio ad liquidum perducetur, si, unde ille de Aurelio Victore error profectus sit, perspexeris. nam in codice Bruxellensi haec libro de vir. ill. subscripta sunt verba: „Finit Prima Pars: Huius Operis: Incipit: Secunda: Aurelii Victor.“ e qua subscriptione nonnulli viri docti[4]) collegerunt librum de vir. ill. Victori tribui, id quod inde minime consequi Th. Opitzius[5]) iure meritoque statuit, immo potius librum de vir. ill. ἀνωνύμως

1) Ep. V, 8 scribit ille quidem Ateio Capitoni multis hortantibus se velle historiam componere, sed hoc consilium non effecisse videtur. [v. Teuffelium hist. litt. p. 794, 12]. de altero Plinianarum epistolarum [VI, 20] loco, qui argumento esse putabatur, v. M. Hankium de Romanorum rerum scriptoribus I, 29, 4 et Arntzenum in praef. editioni praefixa.

2) Primus, quantum scio, C. Barthius, Schottii aequalis, hanc sententiam improbavit; scribit enim in adversar. l. LVI p. 2655: „. . . auctor de vir. ill. Sexto Victori vulgo possessionem cedens, licet, ut ego existimo, non admodum volenti animo.“ cfr. eundem ad Stat. Thebaid. XII, 664.

3) v. Woelfflinum mus. Rhen. t. XXIX, p 285 sqq.

4) Grunerus in praef. edit., Fabricius Bibl. Lat. I, p. 573.

5) Quaestionum de Sex. Aurelio Victore capita tria p. 208.

traditum esse: aliam sane rem futuram esse, si legeretur „incipit altera Aurelii Victoris", sed facile apparere Aurelii vocem corruptam esse, scriptum autem fuisse „incipit altera.[1]) Aurelius Victor."

Quae cum ita sint, librum nostrum Victori vindicari nullo pacto consentaneum est, atque quis tamen auctor illius putandus sit, in hac tanta testimoniorum penuria dici non potest.

Quod quoniam ne nomen quidem auctoris cognitum habemus, augescunt illae difficultates, in quibus versamur, si, qua aetate liber noster scriptus sit, diiudicare studemus. neque enim quisquam veterum[2]) scriptorum eius mentionem facit neque ullum ibi exstat testimonium, unde, quando auctor noster fuerit, liquide et luculenter appareat. argumenta autem e dictione scriptoris petita incertiora mihi videntur esse, quam quibus solis niti liceat. quare nisi latis finibus auctoris nostri aetatem equidem circumscribere audeo nullis statuoque eum post Hadrianum et ante scriptorem libelli, qui inscribitur de origine gentis Romanae, librum suum composuisse. etenim cum auctorem illum, cui Noster et Ampelius sua deberent, Flori epitome usum esse supra ostenderimus, Florus autem Hadriani fuerit aequalis[3]), Noster post huius imperatoris tempora ponatur necesse est. itemque, quin ante Originis scriptorem floruerit dubitari nequit, quoniam hic librum de vir. ill. non modo in manibus habuit, verum etiam cum Caesaribus consociavit[4]) eisque breviarium veterrimae historiae Romanae praemisit, ita ut his tribus tota Romanorum historia inde a primordiis usque ad annum 360 p. Chr. n. contineatur. quare si Jordanus[5]) et Opitzius[6]) Originem recte quinto adscribunt saeculo, liber noster aut sub finem saeculi secundi aut tertio aut quarto compositus putandus est.[7])

---

1) In codice Bruxellensi librum de vir. ill. excipiunt „Caesares."

2) Primus, ni fallor, Fr. Petrarca l. l. librum nostrum commemorat.

3) v. Jahnum in praef. p. XL.

4) Th. Opitzii l. l. p. 208 utimur verbis.

5) Herm. III, p. 397.

6) L. l. p. 207.

7) Hoc commentariolo iam conscripto editio Originis per B. Seppium (München, 1879, M. Riegersche Universitäts-Buchhandl.) adornata in manus mihi venit. Seppius (p. IV) non ab ipso Originis auctore, sed ab aliquo librario Originem cum libro nostro coniunctam esse censet, cum autem hunc librarium haud multo post

Quibus rebus expositis si quaerimus, qua ratione Noster illum de vir. ill. librum adhibuerit, primum non omnes vitas ibi descriptas ab eo in brevius coarctatas esse inde apparet, quod apud Ampelium ipsis eis capitibus, quae communi debentur auctori, nonnulli duces commemorantur, qui apud Nostrum desunt, velut c. XVIII, 9 Fabricius Luscinus, c. XVIII, 17 Sertorius, c. XIX, 4 Decimus Brutus Callaicus, c. XIX, 12 Cornelius Cethegus, c. XXII, 4 Opimius, c. XXVII, 5 Catilina. quae tamen vitae non omnes Nostri ignavia vel nimio brevitatis studio praetermissae videntur esse, immo haec aliave facile iniuria temporum vel librariorum neglegentia intercidit. cui quidem coniecturae favet, quod capp. LXXVIII—LXXXVI primum anno 1579 ab Andrea Schottio ex „apographo Pulmanni"[1]) edita sunt, priora autem iam centum annis ante, deinde quod in codice Laurentiano praeter illa sex etiam capp. LXII et LXV plane desiderantur. neque tamen quisquam dubitat, quin liber noster ad scholarum usum scriptus[2]) vel certe in scholis decantatus facillime corrumpi potuerit atque turbari, ita ut per librariorum petulantiam incuriamve alia genuina auctorisque propria locis suis pellerentur, alia comparandi vel explicandi causa in margine adscripta in textum irreperent. itaque factum est, ut permulta in libro nostro exstent additamenta alia ex alio scriptore sumpta, ex. gr. cap. XXXV 12-16 ex Eutropio II, 8, c. LXXVII, 11—13 e Lucano[3]) [v. Phars. VIII, 672, 698, 715, 792, IX, 1010—1012, 1091], multa in cod. Bruxellensi ex historia miscella.[4]) quare quot vitae a nostro auctore excerptae sint, quot vel ab ipso vel ab aliquo, ut aiunt, interpolatore additae, diiudicare non possumus. sed quoniam perturbatum illum, de quo supra diximus, capitum XIX—XXII ordinem ad Florum

---

Sex. Aurelium Victorem, quem inter „neotericos" scriptores referret, scripsisse statuat, eius sententia nostrae coniecturae non obstat.

1) v. Jordanum Herm. III, p. 392.

2) v. Meierum Zeitschr. für Alterthumsw. II, 1835 p. 1043. Bernhardyum H. L. R. p. 715 n. 514.

3) Dubitari non potest, quin haec libri nostri verba e Lucani Pharsalia translata sint, v. Keilium ad h. l. [Pro „a Servio Codro" Oudendorpii ad Lucanum VIII, 715 coniecturam amplexus „a servo Cordo" scribendum esse conicio.]. In codice Bruxell. plane desunt.

4) v. Opitzium l. l. p. 223 n. 31.

referendum esse, Nostrum autem ipsum Florum non expilasse supra ostendimus, hoc mihi videtur constare auctorem nostrum retento vitarum ordine praecipui illius ducis opus in breve contraxisse atque id inde quoque patet, quod tres Metellorum vitas et Noster [c. LXI—LXIII] et Ampelius [XVIII, 14] conexas proponunt.

Quod cum forte fortuna in has Metellorum vitas inciderimus, permittas velim ut hoc loco paucis eam adumbrem difficultatem, quae, quamvis expediri vix possit, tamen in hac potissimum de ratione, qua scriptus sit liber noster, quaestione silentio non licet praetermitti. exstat enim in Metelli Pii vita non levis inter Ampelium et Nostrum discrepantia, cum hic[1]) [c. LXIII] quia patrem lacrimis et precibus assidue revocasset Pium eum cognominatum esse tradat, ille, quia patrem in exilium secutus esset. ad quam discrepantiam accedunt hae duae: Noster [c. XXXII, 1] Quintum Fabium Rullum ob virtutem Maximum dictum esse scribit, Ampelius, quocum ceteri omnes auctores consentiunt, quod „libertinos e tribubus repurgavisset"; deinde Noster Lartem Tolumnium facit ducem Fidenatium [c. XXV], Ampelius [XXXI] egem Veientium. de quibus rebus quid iudicandum sit, incertus sum, proxime autem ad veritatem mihi videntur accedere, qui censent neque Nostri neque Ampelii librum semper integras communis illius auctoris opiniones tradere, sed vel ab illis auctoribus ipsis retractatas vel a nescio quo librario depravatas. quod si verum est, eodem fortasse pertinet, quod in libro nostro, ubi in universum gravissimum quidque non sine aliquo iudicio ingenioque electum invenit locum, interdum nonnullarum rerum celeberrimarum ne mentio quidem fit, velut in Camilli vita incendii Romae, in Cicerone Catilinariae illius coniurationis cet.[2]) quamquam vereor ne haec rectius Nostro ipsi vitio vertenda sint atque in numerum errorum e nimio brevitatis studio profectorum cadant. qui quot qualesque sint, infra exponemus, nunc iam omnia colligamus, quae nisi apud auctorem de vir. ill. nusquam relata legimus.

---

1) v. Ciceronem pro Planc. XXIX, 69, de orat. II, 40, 167, Val. Maximum V, 2, 7 p. 400, Vell. II, 15, 4 p. 25 ed. Kritz., Appianum b. c. I, 33 p. 299, Dionem fr. 95 p. 136 Dind.

2) v. Woelfflinum De L. Ampelii libro memoriali cet. p. 36.

Caput II.

Quanti enim liber noster ad res Romanas perspiciendas et explorandas sit ponderis atque momenti, ex permagno earum rerum numero apparet, quas aliorum testium auctoritate non firmatas Noster memoriae prodidit. is autem solus tradit:

c. I Amulium et Numitorem alternis vicibus regnasse, Celerem centurionem fuisse [v. Mommsenum h. R. I, p. 70 n.], c. VII a Servio Tullio mensuras atque pondera instituta esse [v. Marquardtium enchiridii t. II, p. 5 n. 6], c. XII Mucio Cordo statuam positam esse, c. XIX Marcium Cariolanum consulem plebi restitisse [v. Mommsenum Herm. IV, p. 14 = Quaest. Rom. II, p. 134], c. XXIV Manlium Capitolinum patronum a civibus appellatum esse, c. XXVII[1]) Decium Murem de Veientibus triumphantem spolia ex eis Cereri consecrasse, c. XXXII a Fabio Rullo institutum esse, ut equites Romani ab aede Honoris equis insidentes in Capitolium transirent [v. Beckerum antiqu. Rom. II[1] p. 265 et p. 260 n. 535], c. XXXIII M.' Curium Dentatum de Lucanis ovavisse [v. Niebuhrium h. R. III, p. 510], c. XXXVI a Decio Mure libertinos Volsinienses oppressos esse, c. XLVII Catonem basilicam suo nomine primum fecisse [v. Lexic. Forcell. s. v. basilica p. 314 ed. Schneeb.], c. XLIX P. Cornelium Scipionem morientem ab uxore petiisse, ne corpus suum Romam referretur [v. Mommsenum Herm. I, p. 168 = Qu. Rom. II, p. 430], c. L M. Livium Salinatorem de Illyriis triumphasse et omnes tribus stipendio privasse [v. Mommsenum Röm. Staatsr. II, p. 405 n. 3], c. LII Fulvium Nobiliorem Aetolos multis proeliis fugavisse eiusque victoriam ab Ennio celebratam esse [v. Vahlenum Quaest. Ennianae p. LXXIV, Jordanum M. Catonis praeter librum de r. r. quae exstant p. LXXVI], c. LVI Aemilium Paulum tres repulsas tulisse, ludis Circensibus veste triumphali eum usum esse [v. Mommsenum Röm. Staatsr. I, p. 423 n. 2, Langium antiqu. Rom. II, p. 631], c. LXI Caecilium Metellum duas repulsas tulisse [v. Langium l. l. p. 319, Wendium De Caeciliis

1) Nam istud P. Decii elogium ex auctore de vir. ill. confictum est (v. Orellium I, p. 148 n. 546), id quod Hauptium p. 43 fugit. sicut in elogio cum codd. B. L. V. in libro nostro legendum est: triumphans spolia ex his cet.

Metellis p. 50], c. LXV Asculum a Romanis defecisse [v. K. W. Nitzschium De Gracchis cet. p. 383 n. et Ihnium h. R. V, p. 65], C. Gracchum concionem a tribuno plebis avocasse [v. Langium l. l III, p. 46], Pomponium apud portam Trigeminam persequentibus restitisse [v. Beckerum Topogr Rom. I, p. 144 n. 206], c. LXVI Livium Drusum aedilem et quaestorem fuisse [v. Mommsenum Röm. Staatsr. I, p. 524 n. 1, C. J. L. I, p 279 VII, Langium l. l. III p. 95], Magulsam Boccho prodidisse, Adherbalem domi suae seclusisse[1]) [v. Langium l. l. p. 99], repente in publico concidisse, vota pro eo per Italiam suscepta esse [v. Kiehnium Der römische Bundesgenossenkrieg p. 176, Langium l. l. p. 103], Philippum consulem de insidiis Latinorum cavendis admonuisse [v. Kiehnium l. l. p. 175 Langium l. l. p. 98, Ihnium h. R. V, p. 249], c. LXXI C. Nigidium a Viriatho oppressum esse [v. Hoffmannum De Viriathi Numantinorumque bello, Gryphiae 1865 p. 36], c. LXXII Aemilium Scaurum primo in Hispania corniculum meruisse, sub Oreste in Sardinia stipendia fecisse, Opimium contra Gracchum privato consilio armasse[2]) [v. Langium l. l. p. 47], legem de libertinorum suffragiis tulisse [v. Langium l. l. I, p. 450, III, p. 52, Ihnium l. l. IV, 29 n. 3], c. LXXIII Appuleium Saturninum legem tulisse, ut veteranis centena iugera in Africa dividerentur [v. Mommsenum C. J. L. I, p. 97, h. R. II, p. 200 n., Langium l. l. III, p. 75, Ihnium h. R. V, p. 222], Siciliam, Achaiam, Macedoniam novis coloniis destinasse [v. Langium l. l. II, p. 642], aurum Tolosanum[3]) ad agrorum emptionem convertisse [v. Langium l. l. III, p. 78], caput eius a Rabirio quodam circumlatum esse, c. LXXV Sullae parvulo mulierem futura praedixisse [v. Klebsium De scriptoribus aetatis Sullanae p. 53], c. LXXVIII Lentulum C. Caesaris iussu interfectum esse, c. LXXXII M. Brutum quaestorem Caesari in Galliam proficisci noluisse, cum Appio Claudio in Cilicia fuisse, c. LXXXIII C. Cassium Caryotam cognominatum esse, c. LXXXV M. Antonium regio habitu ornatum mortem sibi conscivisse.

Quibus locis collatis cum multas res a solo nostro auctore tradi

1) v. Freudenbergerum Herm. XI, p. 491.

2) Quo iure Peter (vet. hist. Rom. rel. p. CCLVII) hanc rem auctori nostro errori vertat, non assequor.

3) v. Baiterum Ind. leg. p. 137.

tum in aliquot summae gravitatis quaestionibus diiudicandis viros doctos sola eius auctoritate niti videmus. accedit quod nonnullae res a Nostro relatae ab aliis auctoribus, si non traduntur, tamen leviter attinguntur ideoque comprobantur. cuius generis hos inveni locos: c. XXIV, 4 narratur Manlium Capitolinum patronum a civibus appellatum esse; rem ipsam solus Noster habet, adumbrat autem Livius VI, 14, 5 et VI, 18, 14; deinde c. XXIII, 10 legimus M.' Curio domum apud Tifatam publice datam esse; res ipsa nusquam praeterea invenitur, comprobatur autem Pauli p. 49 Müll. auctoritate, qui s. v. Curia tifata scribit: Curia tifata a Curio dicta, quia eo loco domum habuerat; tum cap. LXVI, 11 traditur M. Drusum repente in publico concidisse seu morbo comitiali seu hausto caprino sanguine; Drusum in publico concidisse frustra apud alium auctorem quaeras, morbo autem comitiali eum affectum fuisse e Plinio XXV, 5, 52 atque caprinum sanguinem eum hausisse ex eodem Plinio XXVIII, 9, 143 apparet. itemque Siciliam, Achaiam, Macedoniam novis coloniis ab Appuleio Saturnino destinatas esse nemo praeter Nostrum [c. LXXIII] tradit, legem autem illam Appuleiam latam esse Cicero [pro Balbo XXIV, 48] testatur. denique Saturnini caput a Rabirio circumlatum esse solus auctor de vir. ill. prodit, interfuisse autem Rabirium Saturnini caedi, e die ei postea dicta patet.

De his igitur rebus ab aliis auctoribus leviter attactis iam nunc certum facere iudicium licet, de ceteris autem omnibus a solo Nostro narratis quid censendum sit ut perspiciatur, ad eam accedamus oportet quaestionem, quae est de libri nostri fide historica.

Caput III.

De libri de vir. ill. scripti fide historica.

Haud raro auctorem de vir. ill. errore labi iam pridem viri docti intellexerunt atque Schottius, Gruner, Arntzenius, Schroeter, Keilius in commentariis suis, Becker [Topogr. Rom. I, p. 56 n. 96], Koehler [Qua ratione T. Livii annalibus cet. p. 42], Mommsenus [Chronolog. Rom. p. 26 n. 32, Herm. IV, p. 7 n. 2 = Quaest. Rom. II, p. 122 n. 18, Herm. V, p. 245 n. 5 = Quaest. Rom. II,

p. 182 n. 61)], Hauptius[1]) [De auctoris de vir. ill. cet. p. 44] ostenderunt. quod cum quanta libro nostro tribuenda sit fides historica, e numero genereque errorum optime possit diiudicari, omnes et qui a viris doctis detecti sunt et qui mihi ipsi occurrebant errores infra collectos propono.

Ac primum quidem auctor de vir. ill. nonnullis locis res perturbato temporis ordine enarrat: c. XLIII, 4 Q. Fabium, postquam Minucio periclitanti subvenisset, Hannibalem in agro Falerno inclusisse, c. LXIX, 2 Cinnam, antequam ex urbe profugisset, honore privatum esse [cfr. Liv. epit. LXXIX, Vell. II, 20, 3 p. 28, Plutarch. v. Mar. XLI p. 512, Appian. b. c. I, 65 p. 313], c. LXXV, 7 proelium apud Orchomenum post Chaeronense commissum esse [cfr. Plutarch. v. Sullae XVII p. 553 et XXI p. 556, Appian. Mithr. XLII p. 228 et XLIX p. 232], c. LXXV, 8 ro-

1) Hauptius in enumerandis Nostri erroribus ipse interdum mihi videtur errare. nam primum quae de T. Manlio Torquato cos. a. 407 [c. XXVIII, 5] exponuntur, de eodem Manlio Dio fr. 35, 9 p. 43 Dind. tradit (v. Langium ant. Rom. II, p. 43, qui hunc libri nostri locum omisit), quare minime Noster consulem a. 407 cum consule a. 519 confudisse putandus est, immo auctor aliquis, quem Noster et Dio sequuntur. nequaquam porro „Scipionem Nasicam Matris deum templum aedificasse" auctori nostro vitio vertendum est [c. XLVI, 7], quia eandem rem Ovidius [fast. IV, 347 p. 170 ed. Merck.] narrat [id quod Merckelium praef. p. CXXIX fugit]. itemque nulla est causa, cur Q. Fabium Rullum cum C. Marcio Rutilo a Nostro [c. XXXII, 2 v. Beckerum ant. Rom. II² p. 195 n. 475] confusum esse concedamus. neque enim quicquam impedit, quominus Fabium sicut consulatum [Liv. X, 9, 10; 15, 9] item censuram recusavisse credamus (v. de Boorum Fasti Censorii p. 80 n. 71 et Haakhium in Paulyi Realencycl. III, p. 392). deinde navalem A. Atilii Calatini victoriam [XXXIX, 2] Polybius quoque [I, 25, 4 p. 30] commemorat, quocum Noster in bello Punico primo describendo praeterea concinit (sicut Noster [v. Diod. XXIII, 9, 5 p. 329] Polybius [I, 24, 12 p. 30 v. Diod. XXIII, 9, 5 p. 320] Ennam ab Atilio captam esse tradit, Xanthippum facit [I, 32 p. 39 v. Diod. XXIII, 75, 7 p. 325] mercennarium militem, Carthaginiensium ducem [I, 60, 4 p. 72 v. Diod. XXIV, 11 p. 338] a Catulo victum Hannonem [ita cum cod. B. apud nostrum auctorem c. XLI legendum est] nominat), quare nego A. Atilium Calatinum ab auctore de vir. ill. cum M. Atilio Regulo confusum esse. [ad hanc fortasse navalem victoriam referenda sunt Festi p. 162 Müll. (cfr. p. 386) verba: Item ali, inter quos A. Atilius bello, quod gestum est contra Poenos cet.]; denique „Hostilium Mancinum praetorem adversus Numantinos missum esse" [c. LIX, 1] librarii mendum est, nam cum cod. Brux. scribendum est: C. Hostilius Mancinus adversus Numantinos cet.

gationem illam Sulpiciam latam esse devicto Mithridate [cfr. Liv. epit. LXXVII, Vell. II, 18—19 p. 26 sqq.], c. LXXX, 2 Catonem, postquam in Cyprum missus esset, Catilinariae coniurationis reos puniendos censuisse. eodem pertinet, quod auctor noster c. V, 5 Ancum Marcium paucos dies regnasse tradit [v. Schweglerum h. R. I, 602 n. 3], c. XVII Caesonem, Quinctii Cincinnati filium, a. 293 a. u. c. a censoribus notatum esse, censura autem vel a. 319 [v. Mommsenum Chronolog. Rom. p. 96] vel a. 311 a. u. c. [v. de Boorum fasti censorii p. 36 sqq.] instituta est,[1]) denique c. XXIII, 5 die XVI Calendas Augusti pugnam Alliensem commissam esse [v. Mommsenum l. l. p. 26 n. 32, Quaest. Rom. II, p. 315 n. 37].

Deinde res a nonnullis viris gestas nominum similitudine lapsus permiscet, velut c. IV, 1 Tullum Hostilium regem cum Hosto Hostilio avo confundit, c. XLIV P. Cornelium Scipionem Nasicam cos. a. 592 a. u. c. cum P. Cornelio Scipione Nasica cos. a. 563 a. u. c., cap. LI T. Quinctium Flamininum cum C. Flaminio cos. a. 567 a. u. c. itemque viris eiusdem nominis eadem cognomina indit, sicut c. XXIII, 4 Appuleio illi tribuno plebis, qui Camillo diem dixit, cognomen Appuleii Saturnini, Marii satellitis et c. XXX Pontio Samnitium duci, Herennii filio, cognomen Pontii Telesini, eius, qui apud portam Collinam victus est.

Multo autem maior eorum errorum numerus est, in quos rebus ipsis detorquendis atque perturbandis auctor de vir. ill. lapsus est. etenim falso tradit: Cloeliae statuam in foro positam esse [c. XIII, 5 cfr. Liv. II, 13, 11 Dionys. V, 35 p. 153, Plut. Publ. XIX p. 128, Senec. cons. ad Marc. c. XVI, 2 p. 125 ed. Haas.], L. Quinctium Cincinnatum a Q. Minucio corona aurea obsidionali donatum esse [c. XVII, 1 (c. XXVI, 3, LVIII, 4) cfr. Plin. h. n. XXII, 4, 8[2])], T. Tatio duce Volscos Romanis bellum intulisse [c. XIX (c. LXXXI) v. Mommsenum Herm. IV, 7 n. 2 = Quaest. Rom. II, 122 n. 18], Licinium Stolonem primum e plebe consulem factum esse [c. XX cfr. Liv. VII, 1, 1, Plutarch. Camill. XLII p. 181 cet.], L. Virginium filiae corpus humero

1) Similiter Plinius h. n. XXXIV, 6, 30 peccavit v. Mommsenum Quaest. Rom. II, p. 167 n. 28.

2) Cfr. Festum s. v. Obsidionalis p. 190 Müll., Paulum s. v. Obsidionalis p. 191 Müll., Gellium V, 6, 9 p. 164 Hertz.

gerentem ad exercitum profugisse [c. XXI, 3], Appium Claudium Caecum viam usque Brundusium lapidibus stravisse et aquam Anienem in urbem induxisse [c. XXIV, 7 cfr. Frontin de aquaeduct. V, p. 99 ed. Ded.], Fulvium Nobiliorem consulem Vettonas Oretanosque superavisse [c. LII, 1 cfr. Liv. XXXIV, 55, 6, XXXVI, 21, 10], Sertorium a Q. Metello Pio Hispania expulsum esse [c. LXIII, 3 cfr. c. LXXVII, 4], C. Marium Cimbros in Gallia, Teutonas in Italia vicisse [c. LXVII, 2 cfr. Liv. epit. LXVIII (Flor. I, 37 p. 60 sqq.), Vell. II, 12, 4 p. 23, Plut. Mar. c. XXI —XXVI p. 497 sqq.], Mithridatem ipsum a Sulla apud Chaeroneam et Orchomenum victum esse [c. LXXV, 7 (LXXVI, 5) cfr. Plutarch. Sull. XVII sqq. p. 552, XXI p. 558, Appian. Mithr. XLII p. 228 c. XLIX p. 232], Numidiam a Pompeio Massinissae restitutam esse [c. LXXVII, 2 cfr. Plutarch. Pomp. XII p. 745, Appian. b. c. I, 40 p. 320], Pompeium praetorem in Hispaniam missum esse [c. LXXVII, 4 cfr. Cic. de imp. Cn. Pompeii XXI, 62, Phil. X, 8, 18, Liv. epit. XCI], Dolabellam a Caesare iudicio oppressum esse [c. LXXVIII, 2[1]) cfr. Plutarch. Caes. IV p. 845, Asconium in Scaur. p. 26 Or., Sueton. Caes. IV].

Videmus igitur fere nullum fingi posse errorum genus, cuius non luculentum exemplum in libro nostro exstet. ac quot errores Nostro ipsi attribuendi sint, quot vel Hygino vel incerto illi auctori delegandi, certo sciri nequit, at tamen, cum interdum ei scriptores, qui ex eodem, unde Noster, fonte sua derivant, in eisdem erroribus versentur, hoc procul dubio constat non semper auctorem de vir. ill. ipsum peccasse putandum esse. nam Ampelius quoque Pontio illi Herennii filio cognomen indit Telesino [Ampel. XX, 10, XXVIII, 2 cfr. auctorem de vir. ill. XXX, 1] et P. Cornelium Scipionem Nasicam cos. a. 592 a. u. c. cum P. Cornelio Scipione Nasica cos. a. 563 a. u. c. confundit [Ampel. XIX, 11 cfr. auctorem de vir. ill. XLIV[2]). deinde auctor scholiorum in Juvenalem scriptorum [p. 324 ed. Jahn] eodem, quo Noster, errore lapsus [c. LI] C. Flaminii filio attribuit, quae T. Quinctio Flami-

1) Eodem errore Pseudo-Asconius in divinat. p. 110 Orell. labitur.

2) Idem error apud Augustinum C. D. I, 30 p. 47 Domb.; c. 31 p. 48, II, 5 p. 58 et apud Liv. epit. XLIX invenitur.

nino debentur. haec igitur peccata quin in eo libro, unde noster excerptus est, exstiterint, dubitari non potest. et quoniam praeter illos, de quibus diximus, duo eius generis errores apud Ampelium occurrunt [v. Perizonium animadv. hist. p. 21 sqq. ed. Harl.], vix mihi videtur esse verendum, ne a veritate aberremus, si ipsum illum incerti auctoris librum mendosum atque vitiosum fuisse conicimus, nostro autem de vir. ill. auctori id potissimum crimini dandum esse, quod ducis sui vestigiis tam temere tamque imprudenter insistat. sed cum neque Hygini neque incerti illius scriptoris libri vetustatem pertulerint, immo perpetua oblivione obruti ne mutili quidem nobis suppetant, de eorum fide historica coniectura augurari neque prodest neque iuvat, de Nostro autem constat eius librum tam multis eisque non levibus erroribus foedari, ut quae tradat aliorum testium auctoritate non firmata, quam accuratissime examinanda esse atque perpendenda nemo neget. revera tamen illarum rerum longe pleraeque examinatae et perpensae cum in totius narrationis tenorem tam bene quadrent, tum ea, quae alii scriptores produnt, tam recte amplificant, ut suo iure viri docti librum nostrum plurimi faciant atque in aliquot quaestionibus diiudicandis solum eum testem citent.

Qua disputationis parte ad finem perducta hoc unum superest, ut quibus Hyginus ipse in libro de vir. ill. componendo usus sit fontibus, perscrutemur. quam quaestionem ad hunc locum reservavimus propterea, quod inde quoque apparere nobis persuasimus, quam inique de auctore nostro iudicent, qui omnem fidem ei abrogandam esse censent.

Caput IV.

De Hygini fontibus.

Ac primum quidem in hac de Hygini fontibus quaestione instituenda missos facio annales. etenim mea quidem sententia naufragium faceremus, si quos annalium scriptores Hyginus unoquoque capite adhibuisset, e nostro libro ostendere conaremur. nam quamvis constet permulta eaque locupletissima illorum vestigia et indicia apud auctorem de vir. ill. inveniri, tamen neque ex ipsis annalibus ea desumpta esse neque totum caput, ubi inveniantur, ex eodem scriptore pendere pro certo affirmare licet,

ad quod iudicium comprobandum duo propono exempla: quae s. f. c. III de Numae libris narrantur, eodem modo ex annalium scriptoribus solus Cassius Hemina [v. Plinium XIII, 13, 84] tradidit, quare ex eo Hyginum sua petiisse crederes. quid, quod Noster cum Varrone adeo consentit, ut ne dubitari quidem possit, quin non ex Cassio Hemina, sed ex ipso Varrone Hyginus sua hauserit. scripserunt enim haec:

Varro in libro de cultu deorum [cfr. Augustinum Civ. Dei VII, 34 p. 317 Domb.]

Terentius quidam cum haberet ad Janiculum fundum et bubulcus eius iuxta sepulcrum Numae Pompilii traiciens aratrum eruisset ex terra libros eius, ubi sacrorum institutorum scriptae erant causae in urbem pertulit ad praetorem. at ille cum inspexisset principia, rem tantam detulit ad senatum. ubi cum primores quasdam causas legissent ..... Numae mortuo senatus adsensus est, eosque libros tamquam religiosi patres conscripti, praetor ut combureret, censuerunt.

auct. de vir. ill. III

Morbo solutus [Numa] in Janiculo sepultus est ubi post multos annos arcula cum libris a Terentio quodam exarata, qui libri quia leves quasdam sacrorum causas continebant ex auctoritate patrum cremati sunt.

Videmus igitur auctores ad verbum fere concinere. et quoniam quae Gnaeo Terentio Cassius Hemina attribuit, de Terentio quodam et Varro et Hyginus enarrant, fieri nullo pacto potest, ut Heminam sequatur uterque, immo certe Varroni sua debet Hyginus. atque id, quod de hoc loco argumentis comprobatum habemus verendum est, ne de multis aliis ostendere possemus, nisi in hac tanta testimoniorum inopia versaremur.

Itemque inde, quod alicuius scriptoris vestigium in aliquo capite appareat, minime sequi totum caput ex illo scriptore sumptum esse, si cap. XLIX perlustraveris, assentieris. nam illae de Scipionis origine et infantia narratiunculae certe e Coelio fluxe-

runt[1]), ea autem, quae subsequuntur (§ 4), Coelio [apud Livium XXI, 46, 10[2]) citato] prorsus repugnant; deinde quae de die Scipioni dicta s. f. eiusdem capitis Noster tradit, Valerio Antiati debet[3]), illud autem abstinentiae exemplum § 8 allatum minime ex Antiate depromptum est [v. Gellium VII (VI), 8, 6 p. 221].

Quae cum ita sint, cum in eodem capite alia ex alio scriptore videamus originem traxisse, et operam et oleum nos perdituros esse equidem puto, si quaereremus, quos annalium auctores Hyginus in partem vocavisset, denuo autem moneo me concedere atque assentiri longe plurima capita ex eodem scriptore facile manasse. hoc unum mihi videtur esse statuendum nos tam lubrico disputationis fundamento nixos neque illa vestigia rimari neque capita enucleare posse. unde evenit, ut de Hygini fontibus nihil aliud iudicare audeam, nisi e Ciceronis, Varronis, Nepotis operibus eum permulta petiisse.

Ac de Nepote supra dixi [p. 12] concessique Hauptio non deesse in Nostri Ampeliique libris aperta Corneliana vestigia. quam ob rem hoc loco satis habeo de Varrone et Cicerone pauca exponere.

De Varrone.

Omnes auctores, quicunque vel reipublicae Romanae antiquitates vel res grammaticas aut tractassent aut tetigissent, Varronis illius πολυγραφωτάτου [cfr. Cic. ad Attic. XIII, 18] opera plurimum adhibuisse, iam saepe dictum et scriptum est, auctorem autem de vir. ill. non paucis locis e Varrone pendere, nemo, quod quidem sciam, ad hoc tempus docuit. atqui de libri nostri fontibus quaerenti tam multa mihi occurrebant Varroniana et vestigia et indicia, ut mihi persuasum sit Hyginum in libris de vir. ill. conscribendis Varronis scriptis saepissime usum esse.

Quam sententiam ut argumentis comprobem, primum eos locos colligam, qui cum ipsis Varronis verbis, deinde eos, qui cum auctoribus ad Varronem referendis concinunt.

1) v. Woelfflinum Antiochus v. Syrakus und Coelius Antipater p. 78.

2) De Posneri coniectura supra diximus (p. 8 n. 3) v. Indicem Philolog. VIII (1877) p. 558.

3) v. Mommsenum Herm. I, p. 168 = Quaest. Rom. II, p. 430.

Ac primum quidem hi cum ipsis Varronis verbis congruunt loci:

Varro[1]) in libro de cultu deorum [v. August. C. D. VII, 34]	auct. de vir. ill. III, 3
Terentius quidam cum haberet ad Ianiculum fundum et bubulcus eius iuxta sepulcrum Numae Pompilii traiciens aratrum eruisset ex terra libros eius ubi sacrorum institutorum scriptae erant causae[2]) in urbem pertulit ad praetorem. at ille cum inspexisset principia rem tantam detulit ad senatum. ubi cum primores quasdam causas legissent . . . Numae mortuo assensus est senatus eosque libros tamquam religiosi patres conscripti, praetor ut combureret, censuerunt.	Morbo solutus [Numa Pompilius] in Ianiculo sepultus est, ubi post multos annos arcula cum libris a Terentio quodam exarata, qui libri, quia leves quasdam sacrorum causas continebant, ex auctoritate patrum cremati sunt.

Livius XL, 29, 3 sqq. [Val. Max. I, 1, 12 p. 113, Lactant. I, 22 p. 244 ed. Mign.] vel Antiatem[3]) vel Pisonem[4]) secutus duas arculas a L. Petillio effossas esse tradit. Varro e Cassio Hemina[5]) [v. Plinium h. n. XIII, 15, 84], Verrius Flaccus [apud Festum s. v. Numam p. 173 Müll.] e Varrone sua sumpsit.

1) Eandem rem Varro teste Nonio [s. v. scrobs p. 225, 10] in „Manio“ et teste Plinio [h. n. XIII, 13, 84] in libro VII Human. antiqu. exposuit, quare hinc quoque illa virorum doctorum firmatur sententia Varronem persaepe idem argumentum in libris aliis sub alia specie retractasse (v. L Mercklinum Quaestiones Varronianae, in Ind. Schol. Dorpat. 1852 p. 5. eundem De Varrone coronarum Roman. militarium interprete praecipuo quaestiones, in Ind. Schol. Dorpat. 1859 p. 14, Fr. Ritschelium Die Schriftstellerei des M. Terentius Varro cet. p. 34 n.).

2) v. Schweglerum H. R. I, p. 567 n. 7.

3) v. Nissenum Quaest. critic. de font. decad. IV et V ann. Liv. p. 236.

4) v. Peterum Vet. hist. Rom. reliqu. p. CC.

5) v. Peterum vet. hist. Rom. rell. p. 107. Gruppius [Die Ueberlieferung der Bruchstücke von Varros Antiquitates in commentat. Mommsen. p. 549] quo iure Varronem ad Valerium Antiatem propius accedere censeat, quam ad Claudium Quadrigarium, eo minus assequor, quod Claudius quid de Numae libris narraverit, nusquam nobis traditum est.

Varro L. L. V, 159 p. 62 ed. Müll.

Vicus Sceleratus dictus a Tullia ... quod ibi cum iaceret pater occisus supra eum carpentum mulio ut inigeret iussit.

auct. de vir. ill. VII, 19

Tullia .. viso patris corpore mulionem evitantem super ipsum corpus carpentum agere praecepit, unde vicus ille Sceleratus dictus.

Varrio L. L. V, 157 p. 61

Aequimelium quod aequata Melii domus publice, quod regnum voluit occupare is.

auct. de vir. ill. XVII, 5[1])

... domum eius [Melii] solo aequavit, unde locus ille Aequimelium dicitur.[2])

v. Ciceronem de domo XXXVIII, 101

Varro [ap. Gellium XVII, 21, 24]

M. Manlius .. damnatus capitis e saxo Tarpeio, ut M. Varro ait, praeceps datus.

auct. de vir. ill. XXIV, 7

[Manlius] damnatus de saxo Tarpeio praecipitatus est.

Varro [apud Plinium XXII, 6, 13]

Aemilianum quoque Scipionem Varro auctor est donatum obsidionali (corona) in Africa Manilio consule III cohortibus servatis totidemque ad servandas eas eductis cet.

auct. de vir. ill. LVIII, 4

[Scipio Aemilianus] tribunus in Africa sub M.' Manilio imperatore VIII[3]) cohortes obsidione vallatas ... servavit, a quibus corona obsidionali [aurea] donatus.

Quibus locis collatis sequitur, ut de eis disseramus, quos ad Varronem referendos esse ex comparatione cum aliis auctoribus facta apparet.

Ac primum quae s. f. c. I de Remi morte enarrantur ad verbum fere cum Ovidio Fast. IV, 837 sqq. concinunt. leguntur enim haec:

1) Liv. IV, 16, 1: Domum ... dirui extemplo iussit. id Aequimaelium appellatum.

2) Ita scribunt codd. B. V., A.

3) De numerorum discrepantia supra diximus [p. 38 n.]. rem ipsam praeter Nostrum et Plinium solus Velleius [I, 12, 4 p. 10] tradit.

Ovid. Fast. IV, 837 sqq. p. 203 ed. Merck.

Hoc Celer urget opus quem Romulus ipse vocarat Sintque Celer curae, dixerat, ista tuae Neve quis aut muros aut factam vomere fossam Transeat .... Quod Remus ignorans humiles contemnere muros Nec mora transiluit, rastro Celer occupat ausum.

auct. de vir. ill. I, 4

[Romulus] edixit, ne quis vallum transsiliret, quod Remus irridens transiluit et a Celere centurione rastro [1]) fertur occisus.

Atque ex Ovidio Hyginum[2]) sua minime sumpsisse inde patet, quod Celerem centurionem vocat [v. Dionys. II, 13 p. 123], id quod apud Ovidium desideratur. itemque Ovidius hoc aliudve tradit, quod apud Nostrum deest, quare ex Hygino ipso pendere non potest, immo ad eundem fontem uterque referendus est. et quoniam constat praecipuum Fastorum ducem Varronem esse atque eandem versionem Plutarchus [v. Rom. X, p. 27[3])], Servius [ad Aen. XI, 603 p. 43 ed. Lion.], Paulus [s. v. Celeres p. 55 Müll.] habeant, quos Varroni vel eius asseclis plurima debere nemo negat, cum maxima probabilitate hanc rem Varroni[4]) vindicare mihi videor.

1) Ita cum codd. B., L., V., A., aliis [v. Schroeterum ad h. l.] in nostro libro scribendum est. et quod apud Ovidium quoque nonnulli codices exhibent „rastro" [v. Merckelium ad h. l.], hanc scripturam in textum recepi.

2) Id, quod per se verisimile est, quoniam teste Suetonio [p. 115 Reiff.] Hyginus Ovidio familiarissimus erat v. Buntium de C. Julii Hygini . . vita cet. p. 7 sqq.

3) Peter [De fontibus Plutarchi cet. p. 153] e Valerio Antiate Plutarchum sua hausisse conicit. verum eo probabilius mihi quidem videtur esse quae Plutarchus c. X enarret, e Varrone pendere, quia capp. XI, XII certe ad eum referenda sunt (v. Peterum l. l.). fortasse Varro Antiatem, ut saepe, sequitur [v. L. Mercklinum De Varronis tralaticio scribendi genere quaestiones, in Ind. Schol. Dorpat. 1858 p. 7, Mommsenum Quaest. Rom. II, p. 195. Peterum vet. hist. Rom. rel. p. CCCVIIII].

4) v. Chr. Huelsenum, Varronianae doctrinae quaenam in Ovidii fastis vestigia extent. Berolini 1880 p. 7. Varro autem illas fabulas in eo libro tractavisse videtur, quo teste Quintiliano [inst. orat. I, 6, 12 p. 33 ed. Bonnell. v. H. Kettnerum Studia Rom. Halis, 1865 p. 56] initia urbis enarravit.

Quid de reliqua capitis primi parte censendum sit, num haec quoque e Varrone originem traxerit, diiudicari non potest. neque tamen quicquam huic coniecturae obstat. nam inde quod Accam Larentiam Noster facit Romuli nutricem, minime improbatur, quoniam Varro, sicut Thilo [De Varrone Plut. quaest. Rom. auctore praecipuo p. 17] docet, praeter illam de Herculis scorto fabellam alteram de Romuli nutrice tradidit. etenim Tertullianus [ad nat. II, 10], quem e Varrone sua petiisse inter viros doctos constat[1]), diserte haec scribit: „non puduit auctores vestros de Larentia palam facere. scortum haec meritorium fuit sive dum Romuli nutrix cet.," atque ex his verbis Thilo l. l. rectissime ratiocinatur „Varronem ante de Larentia Romuli nutrice dixisse, quam dixisset de Herculis scorto." cui coniecturae verbis Ovidii [Fast. III, 55 p. 97] firmatae Varronis de simplicibus nominibus sententia [Lib. de praenom. 1] quamvis obstare videatur[2]), minime tamen repugnat, quoniam Varronem in hac re sibi non constitisse[3]) ex hisce Solini [p. 9 ed. Momms.] verbis videmus: „nam ut adfirmat Varro auctor diligentissimus Romam condidit Romulus Marte genitus et Rhea Silvia, vel ut nonnulli Marte et Ilia."

Sed hac de re difficilius est iudicium, certe autem e Varrone profecta mihi videntur esse, quae de morte Romuli auctor de vir. ill. s. f. c. II narrat. nam cum Plutarcho [v. Rom. XXVII, 11—XXVIII, 7, v. Num. II] et Ovidio [Fast. II, 489—510] adeo concinit, ut ex eodem, atque illos, fonte eum sua hausisse manifestum sit. loci autem, de quibus agitur, sunt hi:

Ovid. Fast. II, 489—510 p. 70 sqq.	Plut. Rom. XXVII—XXVIII p. 40 Num. II, p. 71
	Ἠφανίσθη δὲ νώναις ... Κυντιλίαις..
Est locus antiqui Capreae dixere paludem.	τυχεῖν μὲν ἔξω περὶ τὸ καλούμενον αἰγὸς ἢ ζορκὸς ἕλος ἐκκλησίαν ἄγοντα

1) v. Merckelium in praef. ad Ovid. fast. p. CLXXXVIII, 16, Thilonem l. l., Mommsenum Quaest. Rom. II, p. 7 n. 20 (p. 5 n. 11).

2) v. Mommsenum Quaest. Rom. II, p. 17 n. 35.

3) v. C. O. Müllerum ad L. L. VII, 36 p. 134: „itaque etiam hoc inter documenta inconstantiae Varronis" cet. et Fr. Ritschelium Die Schriftstellerei cet. p. 34 n.: . . „bei der Gewissheit, dass Varro dieselben Dinge zwei und dreimal an verschiedenen Orten wiederholend, verbessernd, widersprechend behandelte cet."

Forte tuis illic, Romule, iura dabas.
Sol fugit et removent subeuntia nubila caelum,
Et gravis effusis decidit imber aquis.
Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus aether.
Fit fuga. rex patriis astra petebat equis.
Luctus erat, falsaeque patres in crimine caedis:
Haesissetque animis forsitan illa fides.
Sed Proculus Longa veniebat Julius Alba,

Lunaque surgebat nec facis usus erat,
Cum subito motu sepes tremuere sinistrae:
Rettulit ille gradus horrueruntque comae.
Pulcher et humano maior trabeaque decorus
Romulus in media visus adesse via.
Et dixisse simul. prohibe lugere Quirites,
Nec violent lacrimis numina nostra suis.
Thura ferant placentque novum pia turba Quirinum,
Et patrias artes militiamque colant.
Jussit. et in tenues oculis evanuit auras.
Convocat hic populos iussaque verba refert.
Templa deo fiunt. collis quoque dictus ab illo est.

τὸν Ῥωμύλον, ἄφνω δὲ θαυμαστὰ καὶ κρείττονα λόγου περὶ τὸν ἀέρα πάθη γενέσθαι καὶ μεταβολὰς ἀπίστους. τοῦ μὲν ἡλίου τὸ φῶς ἐπιλιπεῖν νύκτα δὲ κατασχεῖν οὐ πρᾳεῖαν οὐδὲ ἥσυχον, ἀλλὰ βροντάς τε δεινὰς καὶ πνοὰς ἀνέμων ζάλην ἐλαυνόντων πανταχόθεν ἔχουσαν. ἐν δὲ τούτῳ τὸν μὲν πολὺν ὄχλον σκεδασθέντα φυγεῖν — — ζήτησις ἦν τοῦ βασιλέως καὶ πόθος . . . εἶναι δέ τινας, οἳ ἐτάραττον τοὺς πατρικίους καὶ διέβαλλον ὡς ἀβέλτερα τὸν δῆμον ἀναπείθοντας, αὐτοὺς δὲ τοῦ βασιλέως αὐτόχειρας ὄντας. Οὕτως οὖν ἄνδρα τῶν πατρικίων γένει πρῶτον ἤθει τε δοκιμώτατον αὐτῷ τε Ῥωμύλῳ πιστὸν καὶ συνήθη τῶν ἀπ' Ἄλβης ἐποίκων, Ἰούλιον Πρόκλον εἰς ἀγορὰν προελθόντα καὶ τῶν ἁγιωτάτων ἔνορκον ἱερῶν ἁψάμενον εἰπεῖν ἐν πᾶσιν ὡς ὁδὸν αὐτῷ βαδίζοντι Ῥωμύλος ἐξ ἐναντίας προσιὼν φανείη καλὸς μὲν ὀφθῆναι καὶ μέγας, ὡς οὔποτε πρόσθεν, ὅπλοις δὲ λαμπροῖς καὶ φλέγουσι κεκοσμημένος. αὐτὸς μὲν . . . . ἐκεῖνον δὲ ἀποκρίνασθαι. Θεοῖς ἔδοξεν, ὦ Πρόκλε, τοσοῦτον ἡμᾶς γενέσθαι μετ' ἀνθρώπων χρόνον ἐκεῖθεν ὄντας καὶ πόλιν ἐπ' ἀρχῇ καὶ δόξῃ μεγίστῃ κτίσαντας αὖθις οἰκεῖν οὐρανόν. Ἀλλὰ χαῖρε καὶ φράζε Ῥωμαίοις ὅτι σωφροσύνην μετ' ἀνδρείας ἀσκοῦντες ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρωπίνης ἀφίξονται δυνάμεως. Ἐγὼ δ' ὑμῖν εὐμενὴς ἔσομαι δαίμων Κυρῖνος.“ ταῦτα πιστὰ μὲν εἶναι τοῖς Ῥωμαίοις ἐδόκει διὰ τὸν τρόπον τοῦ λέγοντος καὶ τὸν ὅρκον.

Quibus comparatis quin eundem auctorem Ovidius et Plutarchus presso pede sequantur, dubium esse nequit. quod cum praecipuum et Ovidii in fastis et Plutarchi in vitis Romuli et Numae describendis fontem Varronem esse certe nemo neget, ea, quae tam plane consentientes enarrant, communi illi auctori non debere non possunt.[1]) itemque ea, quae Noster tradit, e Varrone pendere primo oculorum obtutu videbis. etenim Romulum „lustrasse“ et Plutarchus [v. Numae II θυσίαν δημοτελῆ . . ἔθυε] et Noster scribunt; seditiones inter patres et plebem ortas esse Ovidius, Plutarchus, Noster narrant; Proculum virum nobilem fuisse atque iurasse Plutarchus et Noster; Romulum augustiore forma visum esse eiusque vaticinia et praecepta Ovidius,[2]) Plutarchus, Noster, Proculi auctoritati creditum esse et Plutarchus et Noster, denique aedem in Quirinali colle Romulo constitutam esse et Ovidius et Noster tradunt. — —

Deinde illud de salinarum vectigali ab Anco Marcio instituto [c. V, 3] Varroni attribuendum esse mihi videtur. nam praeter Nostrum solus[3]) Plinius hanc rem [XXXI, 7, 89] memoriae prodit, cum autem hic Varroni, quem ipse citat,[4]) sua debeat, mirum ni de auctore nostro idem censendum sit.

Itemque e Varrone petita mihi quidem verisimile est, quae de praetexta bullaque Tarquinii filio donata Noster exponit. etenim ad verbum fere cum Macrobio consentit, qui haec scribit:

Macrob. Sat. I, 6, 8 p. 24 Eyss.	auct. de vir. ill. VI, 9
Tarquinius Demarati exulis Corinthii filius Priscus, quem	L. Tarquinius Priscus Demarati Corinthii filius . . Lucumo dictus

1) Merckelium, qui [in praefat. p. LXXXII] ex Ennii annalibus Ovidium sua deprompsisse conicit, mira illa cum Plutarcho et Nostro consensio fugit.

2) Schenklius [Zeitschrift für die oesterr. Gymnasien XI, 1860 p. 403] verba v. 508 („et patrias artes militiamque colant“) e Livio I, 16, 7 („proinde rem militarem colant“) Ovidium deprompsisse statuit. verum haec verborum consensio fortuita mihi videtur esse, utut autem est, nostra coniectura Schenklii iudicio minime improbatur.

3) Livius [I, 33, 9] scribit tantum: „salinae circa factae“.

4) „Ancus Marcius rex salis modios sex mille in congiario dedit populo et salinas primus instituit. Varro etiam pulmentari cet.“ (v. Marquardtium enchiridii t. II, p. 155 n. 6).

quidam Lucumonem vocitatum ferunt.. de Sabinis egit triumphum. quo bello filium suum annos quattuordecim natum, quod hostem manu percusserat, ... bulla aurea praetextaque donavit .. hinc deductus mos, ut praetexta et bulla in usum puerorum nobilium usurparetur.

... de Sabinis et priscis Latinis triumphavit ... filium tredecim annorum, quod in proelio hostem percussisset, praetexta bullaque donavit, unde haec puerorum ingenuorum insignia esse coeperunt.

Quam rem cum Plutarchus in Quaestionibus Romanis [CI p. 355 Duebn.], quae in Varroniana maxime doctrina versantur, Plinius [XXXIII, 1, 10] apud quem in eodem capite certa (§ 14) Varronis vestigia apparent[1]), denique Servius [ad Aen. IX, 590 p. 534] eisdem fere verbis tradant, equidem non dubito ad Varronem eam referre. cui coniecturae minime adversantur Varronis verba a Plutarcho l. l. citata, quibus sola vocis originatio, non moris causa significetur [v. Thilonem l. l. p. 13].

Tum e Varrone conicio fluxisse, quae de militaribus Manlii Capitolini donis auctor de vir. ill. [c. XXIV, 2] enarrat, quia cum Plinio adeo concinit, ut eiusdem auctoris vestigia premere putandus sit. scripserunt enim haec:

Plin. h. n. VII, 28, 103

Haud minora forent Capitolini decora ... ante decem et septem annos bina ceperat spolia, triginta septem dona, viginti tres cicatrices adverso corpore ceperat.

auct. de vir. ill. XXIV, 2

[Manlius] sedecim annorum voluntarium militem se obtulit. triginta septem donis militaribus a suis ducibus ornatus, viginti tres cicatrices in pectore habuit.

Haec autem Plinii verba subsequuntur illam de Siccio Dentato narratiunculam, quam e Varrone[2]) depromptam esse, si cum Valerio Maximo [III, 2, 24 p. 261] et Fulgentio [expos. serm.

1) v. Mommsenum Herm. XIII, p. 535 n. 1 et 3 = Quaest. Rom. II, p. 330 n. 75.

2) v. Mercklinum De Varrone coronarum Roman. cet. p. 11, Kettnerum M. Terentii Varronis de vita populi Romani ... quae exstant, Halis 1863 p. 13, Zschechium De Cicerone et Livio Valerii Maximi fontibus, Berolini 1865 p. 43.

antiqu. v. nefrendes p. X Lersch.] comparaveris, videbis. quare quae de Manlio Capitolino exponuntur tam arcte cum illa narratiuncula connexa, eidem Varroni tribuenda sunt, quippe quem constet[1]) de donis militaribus scripsisse.

Ac si de hoc Plinii loco recte iudicavimus, nescio an ea quoque a Varrone profecta esse recte iudicemus, quae de quadraginta quattuor Catonis accusationibus auctor de vir. ill. [c. XLVII, 8] memoriae prodit. etenim hanc quoque rem solus[2]) Plinius [VII, 27, 10] sicut Noster tradit, isque nulla re interposita ante duas illas, de quibus diximus, narratiunculas. quare hoc quoque de Catone expositum ad Varronem[3]) referendum esse non omni mihi videtur carere probabilitate, praesertim cum in ipso libro septimo conscribendo Plinium permulta e Varrone desumpsisse inde appareat, quod eum saepissime laudat auctorem.[4])

---

1) v. Mercklinum l. l. p. 14 et O. Gruppium Die Ueberlieferung der Bruchstücke von Varros Antiquitates, in commentationibus Mommsenianis p. 553.

2) Plutarchus v. Cat. mai. XV p. 411 scribit tantum: *Λέγεται γὰρ ὀλίγον ἀπολιπούσας τῶν πεντήκοντα φυγεῖν δίκας* ... Solinus p. 30, 20 ed. Momms. e Plinio sua desumpsit.

3) Hauptius hunc Plinianum locum e Nepote manasse inde conicit, quod ea de Catone verba, quae antecedunt, cum Nepote [Cato III, 1] plane concinant. verum illa Plinii verba multo propius ad Ciceronem quam ad Nepotem accedere ex hac comparatione patebit:

Nepos Cato III, 1	Plin. VII, 27, 100	Cic. de orat. III, 33, 135
In omnibus rebus singulari fuit industria. nam et agricola sollers et reipublicae peritus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit.	.... Cato esset optimus orator, optimus imperator, optimus senator.	— nemo apud populum fortior, nemo melior senator, idem facile optimus imperator.

itaque vel ex Cicerone ipso in indice auctorum libri VII ante Varronem citato (v. Brunnum De auctorum indicibus Plinianis Disput. isagog., Bonnae 1856 p. 1) vel ex Varrone, Ciceronem secuto, Plinius sua derivat. quid quod in ipso libro VII locuples invenimus exemplum versionis Ciceronianae et Varronianae a Plinio coniunctae. etenim in c. XXI § 85 haec legimus: „in nuce inclusam Iliadem Homeri carmen in membrana scriptum tradit Cicero. idem, fuisse qui pervideret CXXXV passuum. huic et nomen M. Varro reddit, Strabonem vocatum."

4) v. Brunnum l. l. p. 12.

Deinde ea, quae s. f. capitis LXV de Septimuleii avaritia exhibentur, Varroni fortasse vindicari licet. nam ad verbum fere cum Plinio [XXXIII, 3, 48] et Valerio Maximo IX, 4, 3 p. 698 consentiunt,[1]) ita ut ex eodem fonte manasse putanda sint. Plinium autem Varroni sua debere inde conicio, quod et in ipso illo capite 3 eum testem producit, et ea, quae antecedant, ad Varronem referenda esse, si verba[2]) „Servius rex primus signavit aes" cum Varrone apud Charisium I p 81 atque quae de voce pecuniae explicentur, ea cum Varrone L. L. V, 92 p. 37 contuleris, videbis.[3]) —

Denique haud perperam me iudicare puto ea quoque, quae de solis defectu Noster [s. f. c. LXXVIIII] narrat, ad Varronem referenda esse. nam praeter eum Plinius [II, 30, 98] et Servius [ad Georg. I, 466 p. 226] rem eodem modo exponunt, cum autem constet[4]) praecipuum, quo in libro secundo componendo usus sit Plinius, auctorem Varronem esse cumque paulo post aperta illius vestigia [§ 102 cfr. Varronem L. L. V, 16—20 p. 35] occurrant, vix fallimur coniectura illud quoque de solis defectu e Varrone fluxisse.

Quibus rebus expositis, quamvis de hoc aliove, quem proposui, loco ambigi possit, tamen tam multa tamque luculenta Varronis et vestigia et indicia mihi videor demonstrasse, ut Hyginum permulta Varroni debere optimo iure me putem statuisse. quae sententia per se verisimillima inde quoque firmatur, quod Hyginum in ipsis de vir. ill. libris conscribendis Varrone usum esse Asconius [in Pisonian. p. 13 Or.] diserte testatur.

De Cicerone.

Ab omnibus, qui de libri nostri fontibus disputaverunt, praetermissum est in eorum auctorum numero, quibuscum Noster non

---

1) Cic. de or. II, 66, 269, Orosius V, 12 p. 317, Florus II, 3 p. 80, Appianus b. c. I, 26 p. 296 rem leviter attingunt; Plutarchus v. C. Gracchi XVII p. 1005 rem sicut Noster exponit.

2) cfr. Plinium XVIII, 3, 12 v. Urlichsium in Fleckeiseni ann. LXXV (1857) p. 340.

3) Itaque e Timaeo, quem Plinius ibi citat, nihil nisi verba „antea rudi usos Romae [Timaeus tradit]" desumpsit.

4) v. Gruppium Herm. XI, p. 237: „Von dem zweiten Buche des Plinius

paucis locis concinat, Ciceronem quoque esse. atqui ille consensus eiusmodi est, ut non solum multa eisdem fere verbis narrentur, sed etiam nonnulla nisi apud Ciceronem et auctorem nostrum nusquam inveniantur. quod cum summi momenti mihi visum sit, eos locos, qui mihi occurrebant, collectos propono neque dubito, quin is, qui maioribus viribus, quam quibus utitur tiro, instructus rem penitus anquisiverit, multo maiorem numerum in lucem proferre possit.

Hi autem mihi occurrebant loci:

Cic. de rep. II, 8, 14 p. 169 Osan.	auct. de vir. ill. II, 11
. . principes, qui appellati sunt propter caritatem patres.	centum senatores patres a pietate appellavit.

Livius [I, 8, 7] „ab honore“, Sallustius [Cat. VI, 6 cfr. Isid. orig. IX, 4, 10, Serv. ad Aen. V, 758 p. 345, Zon. VII, 3 p. 91, Hieronym. chron. p. 83 ed. Schoen.] „vel aetate vel curae similitudine“, Eutropius [I, 2] „propter senectutem“ patres eos appellatos esse tradunt. Noster igitur proxime ad Ciceronem accedit.[1])

Cic. de rep. II, 10, 20 p. 175	auct. de vir. ill. II, 13
. . a se visum esse in eo colle Romulum, qui nunc Quirinalis vocatur.	. . Romulum a se in colle Quirinali visum . . .

Hanc rem nisi apud Ciceronem et Nostrum nusquam inveni.

Cic. de rep. II, 18, 33 p. 190	auct. de vir. ill. V, 1
[Ancus] Numae Pompilii nepos ex filia . .	[Ancus] Numae Pompilii ex filia nepos . .

vollends steht es fest, dass so gut wie alle Notizen, die aus römischen Quellen stammen, varronisch sind.“

1) Cetera Romuli instituta aliud ex alio fonte deprompta videntur esse. etenim tres illas antiquas tribus, Ramnenses, Tities, Luceres, sicut Livius [I, 13, 7 v. Schweglerum h. R. I, 498 n. 2] falso „tres equitum centurias“ nominat. deinde originem nominis Lucerum a „luci communione“ ducit [cfr. p. 24 n. 2], id quod nisi apud Plutarchum [v. Rom. XX p. 35], Pseudo-Asconium [in Verr. p. 159 Or.], Scholiastam Pers. [I, 20 p. 252 ed. Jahn.] nusquam praeterea invenitur. denique plebem in triginta curias distributam esse, praeter auctorem de vir. ill. solus Dionysius II, 7 p. 126 [v. Schweglerum h. R. I p. 627] tradit.

Cic. II, 18, 33 p. 190	auct. de vir. ill. V, 2
silvas maritumas omnes publicavit.	silvas ad usum navium publicavit.

Hanc quoque rem apud alium[1]) auctorem frustra quaeras.

Cic. de rep. II, 20, 36 p. 194	auct. de vir. ill. VI, 7
.. nec potuit Titiensium et Ramnensium et Lucerum mutare[2]), quum cuperet, nomina, quod auctor ei summa gloria augur Attus Navius non erat ... sed tamen.. numerum duplicavit.	.. equitum centurias numero duplicavit, nomina mutare non potuit Attii Navii auctoritate deterritus...

Cic. de rep. II, 24, 44 p. 207	auct. de vir. ill. VIII
... omne Latium bello devicit.	Latinos Sabinosque domuit.

Ceteri omnes auctores non bello domitos, sed dolo deceptos esse Latinos tradunt [v. Schwegler. h. R. I p. 788]

Cic. Brut. XIV, 55	auct. de vir. ill. XXXIII
M.' Curius tribunus plebis interrege Appio Caeco comitia contra leges habente cum de plebe consulem non accepit, patres ante auctores fieri coegit, quod fuit permagnum lege Maenia nondum lata.	[M.' Curius] tribunus plebis patres auctores fieri coegit comitiis, quibus plebeius magistratus creabatur. id. c. XXXIV [Appius] ne consulatus cum plebeiis communicaretur, acerrime restitit.

Hac de re tacent ceteri omnes auctores [v. Mommsenum Quaest. Rom. I, p. 240, p. 311 et Langium ant. Rom. II, p. 94].

Cic. de off. III, 31, 112	auct. de vir. ill. XXVIII
L. Manlio A. F., cum dictator fuisset, M. Pomponius tribunus pl. diem dixit..... criminabatur etiam, quod Titum filium .. ab hominibus relegasset et ruri habitare iussisset. quod cum audi-	T. Manlius ob ingenii et linguae tarditatem a patre rus relegatus cum audivisset ei diem dictam a Pomponio tribuno plebis nocte urbem petit. secretum colloquium a tribuno impetravit et gladio

1) Livius I, 33, 9 scribit tantum silvam Maesiam Veientibus ademptam esse.

2) v. Beckerum ant. Rom. II[1] p. 242 n. 494.

visset adulescens filius negotium exhiberi patri accurrisse Romam et cum primo luci Pomponii domum venisse dicitur. Cui cum esset nuntiatum ... surrexit e lectulo remotisque arbitris ad se adulescentem iussit venire. at ille ut ingressus est confestim gladium destrinxit iuravitque se illum statim interfecturum nisi iusiurandum sibi dedisset se patrem missum esse facturum. iuravit hoc terrore coactus Pomponius.

stricto dimittere eum accusationem terrore multo compulit.

Cic. de div. II, 35, 74	auct. de vir. ill. XLIV, 2
Cic. Brut. XX, 79	auct. de vir. ill. XLIV, 6
	[Nasica] eloquentia primus
Cic. Cat. mai. XIV, 50	iuris scientia consultissimus
Cic. Tusc. I, 19, 18	ingenio sapientissimus
Cis. Tusc. l. l. Brut. LVIII, 213	unde vulgo Corculum dictus

Has quoque Scipionis Nasicae laudes equidem frustra apud alium auctorem quaesivi.

Cic. Cat. mai. XII, 42

[L. Flamininus] cum esset consul in Gallia exoratus in convivio a scorto est, ut securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent damnati rei capitis.

auct. de vir. ill. XLVII, 4

Censor [Cato] L. Flamininum consularem senatu movit, quod ille in Gallia ad cuiusdam scorti spectaculum eductum quendam e carcere in convivio iugulari iussit.

Deinde Cicero [Cat. mai. X, 32] sicut Noster [c. XLVII] Catonem in bello Syriaco tribunum militum[1]) fuisse tradit [Livius XXXVI. 17, 1 eum facit legatum], denique et Cicero

1) Cfr. Frontinum II, 4, 4 p. 38 Ded., Plutarchum Cat. mai. XII p. 409, Appianum Syr. XVIII p. 183. v. H. Jordanum M. Catonis praeter librum de r. r. quae exstant p. LXXI.

[Brut. XX, 80, XXIII, 90] et Noster l. l.[1]) narrant Catonem octogenarium Galbae diem dixisse [Livius XXXIX, 40, 12 Plutarchus Cat. mai. XV, p. 412 eum faciunt nonagenarium]

Cic. de or. I, 9, 38	auct. de vir. ill. LVII, 3
[Ti. Gracchus] libertinos in urbanas tribus transtulit.	[Ti. Gracchus] censor libertinos, qui rusticas tribus occuparant, in quattuor urbanas divisit.

Neque Cicero neque Noster rem satis accurate exponunt[2]) [v. Langium ant. Rom. II, p. 278 n. 1, p. 289, et Beckerum ant. Rom. II¹, p. 196 n. 413, Ihnium h. R. IV, p. 29 n.]

Cic. de div. I, 18, 36	auct. de vir. ill. LVII, 4
Cic. de or. II, 25, 106 cfr. pro Mil. III, 8	auct. de vir. ill. LVIII, 8
P. Africanus de Ti. Graccho interroganti [Carboni] iure caesum videri respondit.	[P. Africanus] Gracchum iure caesum videri respondit.
Cic. Tusc. I, 35, 85	auct. de vir. ill. LXI, 6
	hic quattuor filiorum pater supremo tempore humeris eorum ad sepulcrum latus est —
Cic. de fin. V, 27, 82 Brut. XXI, 81	
Q. Metellus tres filios consulares vidit, unum etiam censorem et triumphantem.	e quibus tres consulares unum etiam triumphantem vidit.
Cic. pro Sest. XVI, 37	auct. de vir. ill. LXII, 2
[Metellus] unus in legem per vim latam iurare noluerat.	[Metellus] in legem Appuleiam per vim latam iurare noluit.

1) v. Plinium h. n. XXIX, 1, 15.
2) Cfr. Livium XXXXV, 15.

Cic. in Verr. IV, 66, 147	auct. de vir. ill. LXII, 4
[Metellum Numidicum] noluisse sua laudatione iuvare L. Lucullum sororis virum...	[Metellus Numidicus] Metellae sororis suae virum laudare noluit, quod is olim iudicium detractarat.

Hac de re tacent ceteri omnes auctores.

Cic. Tusc. IV, 23, 51 cfr. de domo XXXIV, 91	auct. de vir. ill. LXIV, 7
[Scipio]... consulem languentem[1]) reliquit atque... qui rempublicam salvam esse vellent, se sequi iussit.	..segniter cessante Mucio consule Scipio Nasica sequi se iussis qui salvam rempublicam vellent..
Cic. de off. III, 20, 79	auct. de vir. ill. LXVII, 1
C. Marius... Q. Metellum cuius legatus erat... apud populum criminatus est... itaque factus est ille quidem consul.	[Marius] legatus Metello in Numidia criminando eum consulatum adeptus.
Cic. Brut. XXIX, 111	auct. de vir. ill. LXXII, 9
In Scauri oratione.... inerat auctoritas.	[Scaurus] tantum auctoritate potuit ut cet.
Cic. Brut. LXII, 224	auct. de vir. ill. LXXIII, 1 [cfr. LXVII, 3]
— seditiosorum omnium... L. Appuleius Saturninus eloquentissimus visus est.	L. Appuleius Saturnimus tribunus plebis seditiosus...
Cic. Academ. II, 1	auct. de vir. ill. LXXIV, 3
[Lucullus] praetor.. in Africa	[Lucullus] praetor Africam... rexit.

Hanc rem apud alium auctorem frustra quaesivi.

Quibus locis collectis haud scio an nemini dubium sit, quin hic tantus consensus tantaque conspiratio vix fortuita esse possint, sed ad aliquam rationem referenda sint. et licet hic aliusve con-

1) v. Schneiderum, Die drei Scaevola Ciceros, München 1879 p. 14.

sensus inde profectus sit, quod eiusdem auctoris[1]) vestigia et Cicero et Hyginus premunt, tamen pleraque, quippe quae ad verbum cum Cicerone concinant, e Cicerone ipso Hyginum deprompsisse quovis pignore contendo.

1) Varroniana vestigia apud Nostrum apparere supra ostendimus, constat autem [v. Franckenum Fragmenta M. Terentii Varronis quae inveniuntur in libris S. Augustini de Civitate Dei, Lugduni Batavorum 1836 p. 28] Ciceronem in nonnullis libris conscribendis Varronis opera permultum adhibuisse. ac de libris, quos de republica scripsit, ipse [ad Att. IV, 14] fatetur, in Bruto autem bis [§ 60 et § 205] Varronem laudat. deinde nonnullas res ab auctore de vir. ill. narratas ad Coelium referendas esse supra [p. 8] diximus, Ciceronem autem Coelio multa debere nemo ignorat [v. Nautam de L. Coelio Antipatro historico belli Punici Secundi, Lugd. Batav. 1821 p. 52 sqq. et Peterum vet. hist. Rom. reliquiae p. CCXXV. cfr. Cic. ad Attic. XIII, 8.]

Appendix.

Libri, qui inscribitur de viris illustribus, editio, qualem esse decet, adhuc desideratur. itaque ne solido disputationis fundamento carerem, equidem has quaestiones historicas instituere non ausus sum, priusquam varias codicum optimorum atque ad hoc tempus in usum non vocatorum lectiones benigna virorum doctissimorum liberalitate, quibus gratias ago atque habebo quam possum maximas, mihi comparavi.

Quod quoniam quantum hi codices ad textum emendandum atque ab illis praeproperis editorum emendationibus purgandum valeant mihi persuasi, neque inutile neque ingratum viris doctis fore existimo hanc codicum collationem inspicere. etenim donec vir aliquis horum studiorum peritus a se impetraverit, ut librum nostrum ad optimorum codicum fidem castigatum atque apparatu critico instructum ederet, usque eo hanc appendicem aliqua ex parte desiderio sufficere posse spero. atque primum Bruxellensis, deinde Laurentiani, denique Vaticani codicis varias lectiones quam diligentissime excerptas integras proponam, ut quae inter eos intercedat ratio, quicunque maiorem talibus quaestionibus afferunt scientiam et usum, ipsi diiudicare possint. qua de re accuratius si inquirerem cum verear ne huius appendicis finem longe excederem, equidem hanc quaestionem alii loco reservo, ubi de omnibus libri nostri codicibus tractaturus sum.

Priusquam autem has collationes proponam, nonnulla mihi videntur de ipsis codicibus esse praemittenda.

Codex Bruxellensis.

De hoc codice[1]) E. Ouverleauxius, vir doctissimus, qua est singulari comitate, haec mecum communicavit:

---

1) v. M. Roulesium in Bulletins de l'Academie royale des sciences, des lettres et des beaux = arts de Belgique t. XVII[1] (1850) p. 261—268 et H. Jordanum Herm. III, p. 392 sqq.

„Le manuscrit No. 9755—9763 se compose de 156 feuillets en papier du format petit in-folio. Il fut écrit probablement à la fin du XVe ou au commencement du XVIe siècle[1]) par un (ou plusieurs?) copiste, qui l'a figuré plutôt que transcrit d'après des manuscrits beaucoup plus anciens.

Roulez dit que *tous* les ouvrages que renferme le manuscrit en question ont été écrits de la main d'un même copiste. Cependant la liste des synonymes tirés des écrits de Cicéron, et par laquelle commence le volume est certainement d'une autre main que celle (ou celles?) qui a écrit le reste. Cette liste est en écriture minuscule gothique, selon toute apparence du XVe siècle.

Voici le dépouillement du manuscrit:

Folio 1 recto et verso: Notes de tout genre de *différentes* écritures, mais peut-être toutes ou presque toutes de la main de Poelmann (Theodoricus Pulmannus) à qui le livre a appartenu. Il y en a en latin, d'autres en flamand. En haut du recto on lit *Soc^{tis} Jesu. Ant. D. P.* ce qui indique que le manuscrit a passé dans la bibliothèque de la maison de profession des jésuites d'Anvers.

Folio 2 recto — folio 9 verso: *Synonima Ciceroniana forte Carisii Sosipatri aut . . . Flisci.*

Folio 10 recto — folio 48 verso: *M. Tullii Ciceronis officia.*

Folio 49 recto — folio 51 verso: *Versus XII sapientium hoc est Basilii, Asmeni, Vomani, Euphorbi, Juliani, Hilasii, Palladii, Asclepiadii, Eusthemii, Pompeiani, Maximiani. Vitalis.*

Folio 52 recto — folio 81 recto: *Aurelii Victoris historiae abbreviate: ab Augusto Octaviano id est a fine Titi Livii usque ad consulatum decimum Constantii Augusti et Juliani Caesaris tertium. Incipiunt feliciter. Origo gentis romanae a Jano et Saturno conditoribus per succedentes sibimet reges usque ad consulatum decimum Constantii digesta ex auctoribus Verrio Flacco, Antiate (ut quidem idem Verrius maluit dicere quam Antia), tum ex annalibus pontificum, Cincio, Egnatio, Veratio, Fabio Pictore, Licinio Macro, Varrone, Caesare, Tuberone atque ex omni priscorum historia. proinde ut quisque necterĭcorum asseveravit, hoc est et Livius et Victor Affer.*

1) v. Jordanum l. l.: „Geschrieben scheint sie [die Handschr.] nach einer kleinen Schriftprobe eher zu Anfang des 15. Jahrhundert als im letzten Viertel."

— Au folio 56 verso commence sans titre ni remarque d'aucune espèce le *De viris illustribus;* il finit au folio 68 verso ou on lit: *Finit Prima Pars: Huius: Operis: Incipit: Secunda: Aurelii: Victor.* Cette *secunda pars* est le De Caesaribus qui se termine au folio 81 recto. — Dans la marge du folio 52 recto on lit ces mots d'un écriture qui m'est inconnue: *Hunc hoc ordine Aurelium Victorem edidit And. Schottus Antverpiae typis Plautini.*

Folio 81 verso: Notes en latin et en flamand écrites par Poelman et relatives à des comptes, probablement de son métier de foulon.

Folio 82 recto — folio 109 recto: Discours extraits de l'ouvrage *Egesippi de excidio Hierosolymae.* — Au folio 109 recto on lit: *Expliciunt orationes Hegesippi.*

Folio 109 verso — folio 118 recto: Discours extraits de Salluste.

Folio 118 recto — folio 130 recto: Discours extraits de Tite-Live.

Folio 130 recto — folio 139 verso: *Incipit disputatio sive controversia de nobilitate inter Publium Cornelium Scipionem et Caium Flamineum dictata per egregium oratorem et legum doctorem Bonacursum Pistoriensem.*

Folio 140 recto — folio 154 verso: *Oratio M. Tullii Ciceronis pro Publio Sylla qui accusabatur de coniuratione Syllae.* — Au bas du folio 154 verso on lit ces mots de la main de Poelman: *Sum Theod. Pulmanni Oraneburgii.*

Folio 155 recto — folio 156 verso quelques mots griffonés. En haut du verso du folio 156 et dernier on lit: *Liber domini Johannis Loemel capni ecclesie sancti Dyonisii Leodiensis.* Il serait je crois très difficile de determiner exactement le temps ou a été écrit cette mention; selon toute apparence je la suppose du XVe siecle ou du commencement du XVIe siècle."

Codex Laurentianus

Plut. XLVII No. 32

„Codex membranaceus Ms. in 4° latus centim. 17 centim. 26 saeculi XV, nitidissimus cum pictura in principio et initialibus librorum auratis et coloratis, in cuius prima pagina haec adnotata erant litura postea paene deleta: *Liber conventus S. Marci de Florensia quem donavit quidam amicus.*

Constat fol. 99 in unaquaque pagina lin. 30:

I. a pag. 1ª usque ad p. 80: C. Plinii epistolarum libri VII cet.

II a pag. 80 usque ad pag. 99: *C. Plinii Secundi Oratoris facundissimi de viris illustribus liber*, praevia capitum tabula cynnabri exarata." [v. Bandinium Cat. codd. Lat. Tom. II, p. 421]

Codex Vaticanus.

Codex Vaticanus No. 4498, de quo vide Urlichsium Eos II, p. 231, constat e 145 paginis:

I) pag. 1a—20a: *Frontinus*

II) pag. 20b—35b: *Rufus de provinciis*

III) pag. 36a—45a: *Suetonius de grammaticis et rhetoribus*

Codex Bruxellensis.

Cap. I, *1—4 (usque ad „civitatem condiderunt") deest in hoc codice, immo extrema Originis pars nullo spatio interposito cum altero Virorum illustrium capite his verbis coniuncta est:* Sed horum omnium opinionibus diversis repugnat nostrae memoriae proclamans historia liviana quae testatur quod auspicato Romulus ex suo nomine Romam vocavit muniretque maenibus edixit. Ne quis vallum transsiliret. Quod Remus irridens transsilivit et a celere centurione rutro vel rastro ferreo occisus. *[in margine a Theodoro Pulmanno scripta leguntur: „Haec sequentia usque ad secundi lib. finem ex Plinii libro de viris illustribus descripta sunt, paucis immutatis."*

Cap. II, 1 et mox exercitu facto   petit   2 a quibus   magna admiratione omnium   3 Talassii nomen iteretur   vi *om.*   ceninenses   4 in Capitolio Jovi Feretro consecravit. Antenates Crustumi Fidenates Veientes Sabini etiam ob raptas virgines bellum   6 quae aquae causa hauriendae descenderat, ei Titus Tatius   in arcem perduxisset   petit   anulos promissis   et *om.*   habebant   7 forum Romanum   Romani *om.*   8 et *om.*   9 hinc matres   10 populum a Quiritibus   11 Centumque ex senioribus elegit, quorum consilio omnia ageret, quos

IV) pag. 45b—63a: *Plinius de viris illustribus*
V) pag. 63b- 77b: *Tacitus Agricola*
VI) pag. 78a—97a: *Tacitus dialogus de oratoribus*
VII) pag. 97b—109a: *Tacitus Germania*
VIII) pag. 109b—110b: *M. Junius Nypsus de Mensuris*
IX) pag. 111a—114b: *Incertus de ponderibus*
X) pag. 115a—118b: *Senecae ἀποκολοκύντωσις*
XI) pag. 119a—145: *Censorinus de die natali.*

Quibus rebus expositis ad ipsas collationes transeamus, quas sciendum est factas esse ad editionem Schroeterianam a. MDCCCXXXI.

Codex Laurentianus.

Cap. I, 1 Munitorem alternis vicibus 2 Amulius regnum fratri non filiam illius Rebam Silviam Remum et Romulum parvulos Tyberim (in *om.*) 3 pastor Faustus acha Laurentiae 4 Munitori Remus undecim edixit *om.* vallum transiret statuit transivit et a Fabio celere centurione rastro fertur occisus.

Cap. II, 1 asilum 2 Consualia *om.* veniret, ex responsum est rapuissent vi cevienses [primi *om.*] certamine vicit 6 Titus anulos Tacius levam 7 adversum Tacium hostis Hostilius obsternati fugere Romani 10 a quiribus 11 Patres a pietate instituit quos Romenses a Tito Tacio Tacientes a Lucio Luceres

Codex Vaticanus.

Cai Plinii Secundi oratoris veronensis liber illustrium Romanorum incipit.

Cap I, 1 vicibus h'nalum et *om.* 2 eum *om.* privaret filiam illius Ream (Silviam *om.*) veste Romulum Remumque 3 arce Laurentie 4 vultures [vu *in rasura*) legibus prius męnibus transilivit rastro

Cap. II, 1 Asilum 2 ludos et Marcus varro [*L. L. VI, 20 p. 81 Müll.*] consualia dicta a consu quod scire publice et deo et merito ad aram eius ab sacerdotibus ludi illi quibus virgines rapit consualia simulavit. Ad quos virgines rapsisset 3 ut in omnibus nuptiis primi cenimenses sumpserunt, adversum prelio devicit

pro senectute Senatores patres a pietate nominavit. Equitum centurias instituit, quas suo nomine Ramnes, a Tito Tatio Tytienses, Aluti comunione Luteres appellavit. 12 Plaebem [*sic constanter*] 13 contionem 14 Aedes Romulo in colle appellatus. Imperavit annis XXXVIII.

Cap. III, 1 Pomponii filius a curibus Salior artis [*sic*] sacerdotes vocatur alios duodecim 2 Aegeriae 3 est *om.* quodam extracta [*in margine ab alia manu* exarata]

Cap. IV, 1 Hostilius qui bonam noverat tergeminorum finivit et Albam 2 Suffetii montem celum 3 Jovi

Codex Laurentianus.

(12 Plebem *usque ad* appellavit *om.*) 13 nunquam Lucius Proculus in *om.* contionem visum *om.* et virtutem 14 Cuius Romulo *om.* et *om.*

Codex Vaticanus.

4 in capitolio Jovi feretrio 5 adversum 6 virginem nocti Titus tacius [*sic constanter*] dedit sumptum suum in illi *om.* manibus gradiant anulos in levis 7 adversum tacium pugnam consentit hostius Hostilius cui interitu fugere ceperunt 8 Statori cadem 9 hinc matres deprȩcatȩ 10 fȩdus opido [*sic. const.*] 11 Centum Senatores delegit et ab aetate et pietate Rānenses M. varro [*L. L. V, 55 p. 22 Müll.*] ager romanus primum divisus est in tres partes a quo tali appellata est taciensium lānium lucerum nominate ut ait Emnius turensis a Tacio Ramnenses a Romulo Luceres ut Junius ab Lucumone. a Tito tacio Ticienses ab Luctinone cōmunione luceres appellavit 12 distribuit eamque 13 lustrasset in contionem augustiori forma preciperet ut 14 Romula constituta appellatus est.

Codex Laurentianus.

Cap. III, 1 Romuli consecrationem (diu interregnum esset et *om.*) Pomponii filius quiribus Sabinorum oppido addicentibus civibus ferreum religioni Sanlios Martis vocatur alios XII Jano geminas 2 plures tulit et utiles ei bellum post annos multos fercula

Codex Vaticanus.

Cap. III, 1 (esset et *om.*) Pomponi filius Flamīas tres vocatur alios XII Maximum cremuit gemino gloficavit 2 tulit *om.* omniaque iussu (gerebat *om.*) nimphae simulans instituit. 3 sepultus est vel arcula. De quo Titus Livius libro quarto ab urbe condita et Salerius Cicero de religione. Ubi post annos fercula vel arcula cum libris a Terentio quoque leges quasdam

Codex Laurentianus.

Cap. IV, 1 qui bonam adversus Sabinos naverat trigeminiorum

Codex Vaticanus.

Cap. IV, 1 Tulus hostilius quia bonam novaverat creatione

Codex Bruxellensis.

delitio 5 cum inter (Romanos et *om.*) Albanos bellum fuisset Suffetio certamine finire 7 vulnerum dolor patiebatur insequentes 9 ad *om.* lachrymis suprapositum 10 Suffetius certatione finisset Veientes et (ut rem corrigeret *om.*)

Cap. V, 1 Martius 2 circundedit 4 repetundas 5 praestare quod [*in margine dubium an ab eadem manu* qualem]

Cap. VI, 1 Priscus Lucumo graeci demarathi Cypselis Hetruriam [*sic constanter*] 2 Tarquinii petit pilleum 5 intercaepit administravit 7 Attinevii 8 circumdedit urbi 9 puerorum ingenuorum

Cap. VII, 1 Tullus Spuri Cornicularii et Ocreatiae 2 viso 3 ut eum ita ut 4 Cumque assumptus altiori respiciens lethali Tullo dicto obaudientes 5 administravit.

Codex Laurentianus.

bellum 2 Biecii Suffecii Albanos etiam Romam 3 saçrifitiis 4 Jovi edilitio [*in margine*: aliter de litare] circumflagavit 5 Cum inter Albanos bellum (Romanos et *om.*) Suffecio 6 Et erant horacii Quiriaci foedere irto 7 oracius insequentes *om.* visa sui *om.* qui erat unus ex quiriacis 9 occidit Qui apud triumviros via suppositum Sororum 10 Mecius Suffecius sola tergeminorum vegientes et adversus 11 Ipse Tulio (ab *om.*) arcesitus 12 Tulius ait magna voce Mecium Quare hostes 13 Mecius Tullio

Cap. V, 1 Anchus Pomponii 2 Aventinum et Martium menia 3 oportunam in hostio Tyberis 4 repetundas Resus

Cap. VI, 1 Priscus Lucunii greci demorati filius, qui corinthi tyrannidem 2 Luconio dictus 5 atque Ancii (etiam *om.*) est *om.* tutor *om.* ita administravit adeptus esset 7 dupplicavit Acii Nevii 8 Murum urbi lapideum circumdedit. Filium XIIII annorum, quod in plelium 9 puerorum ingenuorum 10 exutus regno

Cap. VII, 1 Servius Tullius pueri corviculari et Terentie captive Tarquini 2 Tarquinal 3 ut eum

Codex Vaticanus.

finivit 2 Mecii Suffecii 3 Montem cęlium 4 mutatur Jovi delicio cum regia cor flagravit 5 Cum inter Albanos (Romanos et *om.*) Suffecio 6 et erant trigemini oratii fędere 7 insequentes *om.* ex curiaciis 9 Qui apud dm̄ viros lachrymis suppositum Sororium oplatur. 10 Metuit Suffectius sola trigeminorum certatione fuisset corrigeret VCLemes 11 Ipse autem tullo accersitus 12 intellecta tullus voce magna exclamavit Mecium 13 Mecium

Cap. V, 1 Ancus marcus 2 Aventinum et Murcium męnia opido 3 hostiam coloniam oportunam in hostio Tyberis 4 Jus Seciale equiculis quod prius fertur hessus avus suus excogitasse

Cap. VI, 1 Tarquinus priscus lucunio greci demarathi Corinthii filius qui Cipri tirannidem 2 lucunio urbs Tarquiniis Romam petit 3 pilleum substulit alte sublevasset 4 regnum illi 5 regis familia citarem consecutus (est *om.*) administravit quasi, quasi iure 7 Accii necini auguriorum et *om.* 9 pręlio hostem perculisset precepta bullaque puerorum ingenuorum cęperunt 10 missis percussoribus

Cap. VII, 1 Tullus Spuri cornicularii et ocrecie captivus Tarquini 2 Hoc iusu 3 suasit

Codex Bruxellensis.

Hetruscos (*sic constanter*) saepe edomuit 6 urbi distribuit annonam mensuras pondera classes centuriasque constituit. Primus omnium censum ordinavit, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat. Latinorum 10 Quo facto bos quaedam (illam Dianae *om.*) 11 et omnia sacerdoti 12 callide 14 et sibi quaesivit. Regnavit annis quadringintaquatuor. Hic primus Servius Tullus alteram filiam mitem alteram ferocem habens 15 ferocem morum simplici 18 in gradibus 19 statim *om.* discedere dictus est et postea est *om.*

Cap. VIII, 1 Tarquinus ex moribus 2 Deam Pometiam Hetruscis redaegit 3 Ludos in Circo ibi 7 Ardaeae

Porsennam (*sic constanter*) Hetruriae regem 6 exaegit

Cap. IX, 1 ex sorore cum *om.* Ita 2 petunt. Lucretia regia nurus in convivio vel lusu comprehenditur. Inde 3 Sextus Tarquinius venit et pudicitiam cubiculi expugnavit 4 veste gesserat 5 exitio

Cap. X, 1 Lucius *om.* in *om.* de imprudentia ab avunculo fuerat occisus dictus est 2 dono intulit 3 dig-

Codex Laurentianus.	Codex Vaticanus.
ita 4 a Tarquino assuptus loco *om.* accepto patre interim (ut *om.*) convalescit dicto *om.* esset 6 Quirinalem et Juminalem agerem fossasque 9 exemplum eorum 10 bos quedam mirae (Latino *om.*) sompnio datum est habiturum *om.* 11 in Aventino 13 Tyberim 14 consilioque petivit 15 miti *om.* in matrimonio 17 paternum petere 18 Servius cum deiectus in domum 19 turba recedere mullionem Postea cum coniuge Tullia in	ut eum ita 4 genere a Tarquino assumptus gravi quidem vulneratum sed non 5 regnare cepit recte regnum administravit 6 exquilias fossamque distribuit annonam plebi dedit 9 Dianae ephesio 10 Quo facto bos (cuidam Latino *om.*) mirae nata est. Responsum Dianae *om.* 12 prius cum vivo 13 dum Latinus in Tiberim Leonem immolavit. Ita imperium sibi gloriamque cuilibet fato quesivit 15 Tullius *om.* mitem aliam cum Tarquinos pari omnium merces 16 mites seu sorte 17 Tarquinus a Julia regnum patruum cępit 18 Tarquini 19 primam coniugem mulione civitatem super acta (est *om.*)
Cap. VIII, 1 cognomine 2 occupavit. Inde Secam Pomeciam a trusus eripuit Sabios 3 Lacus in circho dictae sunt 5 in obsidionem struprum intulisset et eo Porsennam [*sic constanter*] regem Etruriae 6 tempus vitae reliquum	**Cap. VIII,** 2 Tullo rege regnum cęleste domuit. Seam pomeriam et iustis eripuit. Sabinos per et *om.* 3 Lacus in circo ille fosse quiricium est cum urbem 5 in obsidione arderet filium etruris regem temptavit. 6 ubi iniuriose reliquum vitae tempus egit
Cap. IX, 1 convivio luxu coniugem 2 Ita in convivio vel in luxu lanifitio offendunt, ita ea 3 Collaciam petiit propinquitatis videlicet domum (in *om.*) 4 rem exponit 5 in exitum regum vendicaverunt	**Cap. IX,** 1 Tarquinus sorore superbus genitus regiorum ardens erat equis *om.* 2 in conviviis et luxu depręhendunt, et inde sive collatinum collatina petunt ita illa pudicissima 3 Tarquinus Collatini verit. nocte cubiculum 4 rem aperuit veste rexerat 5 vindicarunt.
Cap. X, 1 Lucius *om.* qui *om.* ab arvincula fuerat occisus stul-	**Cap. X,** 1 Lucius *om.* in *om.* fuerat occisus ab avunculo 2 ri-

Codex Bruxellensis.

nitatem [*ab alia manu superscriptum* potes] osculatus est matrem terram 5 eo quod Vitelliis ad recipiendos 6 congressus est ubi ambo ceciderunt

Cap. XI, 1 caepisset cum quo statim in Tiberim 2 datum quantum uno die ambire potuisset

Cap. XII, 1 Mutius [*sic const.*] 3 ab ea exigens 5 trecentes similis adversus eum

Cap. XIII, 1 nobilem virginem 2 repetita et reddita. Cuius 3 ammiratus.

Cap. XIV, 1 adversus Veiientes fuerunt *om.* 3 atque progressi delapsi et occisi usque ad unum perierunt nephastos delatus 6 propagavit. At Quintus Fabius qui Hannibalem morās fregit.

Codex Laurentianus.

titiam simulavit 2 ridiculi causa comes accitus aurum infixum 3 obscularetur obsculatus 4 in exitum regum 5 filios suos quia in urbe Tarquinos 6 Aronte matrone

Cap. XI, 1 Tarquimos temptaret cepissent ponte Sulpitio et *om.* solus *om.* substinuit Tyberim 2 Ob hoc tantum agri quantum uno die arari potuisset publice datum quoque et in posita est.

Cap. XII, 1 Mutius Cocles vir magnae constantiae 2 Porsennae 3 protractus 5 benefitium trecentum adversum similes (eum *om.*) 6 Mutio dono data Mutia appellata sunt 7 constituta fuit.

Cap. XIII, 1 Cocliam nobilem virginem quem sors dederat eripit 2 redditaque (est *om.*) 4 iniuria obnoxiam 5 posita est.

Cap XIV, 1 adversus Vegientes prefecit trecenti (sex *om.*) consule *om.* 2 castra posuere Vegientes 3 in conspectu eorum

Codex Vaticanus.

diculi causa comes accitus 3 cum tricipino in Regum exitium 4 et viceliis coniurarant virgis cesos 5 prȩlio cum arunce filio se *om.* vulneribus ceciderunt 6 positum in foro annum luxerunt.

Cap. XI, 1 temptaret eo cognomine prȩlio (solus *om.*) substinuit transnatavit 2 est quam cum uno die arare potuisset

Cap. XII, 1 Cum urbem Porsena Mutius corde vir Romanus constantiae necem regis et ꝯ mittens 2 purpuratum quēdam pro 3 Apprȩhensus 3 dexteram arȩ incensȩ imponit ab area exigens 4 adversum se similis (ille *om.*) territus rex desidibus deposuit. Mutio 5 data: quȩ mutiana dicuntur. Statua quoque ei in vulcanali posita honoris

Cap. XIII, 1 Clocliam nobilem virginem quem sors 2 repetita per legatos et addita civilem virtutem admirans 4 pueros quidem elegit iniuriae minime obnoxiam posita [*nullo spatio interposito subsequitur*] De Fabiorum clade gentis morte advenientibus habita.

Cap. XIV, 1 adversus et profecit (consule *om.*) fuerunt et cum 3 eorum *om.* ad eosque in *om.* nefastos relatum 4 Sce-

Codex Bruxellensis.

Cap. XV, 1 Lucius Valerius Publicola Volesi filius ille Bruti collega primo 2 Tricepitini consulem alium subrogabat suspitionem 3 quaestus est quod de se aliquid tale timuissent et immisit 5 Publicola dictus. Qui cum quater consul diem obisset: adeo pauper extitit ut collectis a populo nummis publice sepultus sit et annuo

Cap. XVI *deest in codice Bruxellensi*

Cap. XVII, 1 Quintus Cyncinnatus filium Cesonem adversus Quintum Minutium Quintus dictator dictus est obsidio liberavit. Qua re a Minutio et exercitu eius 3 Hostes vicit in *om.* aegit 5 Spurium Melium equimelium dicitur.

Cap. XVIII, 1 Menennius 2 cessisset non toleraret cum ventrem crederent otiosum 3 membra disserere 5 est *om.* 6 adversum nobilitatem 7 Menennius publicum daret.

Cap. XIX, 1 neus (*prima littera om.*) Martius Postumio

Codex Laurentianus.

in *om.* dilapsi occisione est *om.* nefandos 6 Hanbalem dictus est.

